

T. Rakowiecki sc. Berdiczoviæ

VADE MECUM
PIORUM
SACERDOTUM,
SIVE
EXERCITIA, ET PRECES MATUTINÆ, VESPERTINÆ, ANTE & POST MISSAM.
Necnon
OFFICIA SS. CORDIS JESU, IMMACULATÆ
Conceptionis, Hebdomas Mariana, & aliæ ſelectæ Devotiones ad B. M. V.
AD
COMMODITATEM SAcerdotum tum Religioſorum, tum Sæcularium.
REIMPRESSUM

BERDICZOVIÆ
Typis Fortalitij B. V. MARIÆ,
ANNO DOMINI MDCCLXI.

REIMPRIMATUR

Fr. JOSEPHUS à B. V. M. de Monte Carmelo, Carm: Disc: per Diæcesim Kijoviensem Ordinarius Librorum Censor.

PRÆFATIO
Summi Sacerdotis
CHRISTI JESU
Ad Sacerdotes & Clericos.

PISCATORES hominum, Sacerdotes mei,
Præcones veridici, lucernæ diei,
Charitatis radio fulgentes, & ſpei,
Auribus percipite verba oris mei.
Vos in ſanctuario mihi deſervitis:
Cavete, ne ſteriles aut inanes ſitis,
Si mecum perpetuò vivere velitis.
Vos eſtis Catholicæ Legis protectores,
Sal terræ, lux hominum, ovium paſtores,
Muri domus Iſraël, morum correctores,
Vigiles Eccleſiæ, gentium Doctores.
Si Legis protectio cadat, Lex labetur,
Si ſal evanuerit, in quo ſalietur?

Nisi lux appareat, via nescietur:
Et ni pastor vigilet, ovile frangetur.
Vos cœpistis vineam meam procurare,
Hanc doctrinæ rivulis debetis rigare,
Spinas atque tribulos prorsus extirpare,
Ut radicesFidei possint germinare.
Vos estis in area boves triturantes.
Prudenter à palea grana separantes,
Vos habent pro speculo, Legem ignorantes,
Populi qui fragiles sunt & inconstantes.
Quidquid vident Laici vobis displicere,
Dicent procul dubio sibi non licere,
Et quidquid vos opere vident adimplere,
Credunt esse licitum, & culpa carere.
Cùm Pastores ovium sitis constituti
Non estote desides, sicut canes muti
Vobis non deficiant latratus acuti,
Lupus rapax invidet ovium saluti.
Grex fidelis triplici cibo sustinetur,
Meo sacro corpore, quo grex augetur:
Sermonis compendio, quod discretè detur:
Ciboque corporeo ne periclitetur.

Omni-

Omnibus tenemini veſtris prædicare:
Sed quid, qualiter, ubi, quando, quare,
Debetis ſolicitè præconſiderare,
Ne quis in officio dicat vos errare,
Spectat officium veſtræ dignitatis,
Omnibus petentibus mea dare gratis,
Nec cujuſquam hominum munera pendatis.
Ne cum Giezi pariter lepram incurratis.
Gratis Euchariſtiam plebi miniſtrare.
Gratis & abſolvere, gratis Baptizare,
Vobis data cœlitùs cuncta gratis dare,
Ovium ſalutem ſedulo curare.
Veſtra converſatio ſit religioſa,
Munda conſcientia, vita virtuoſa,
Regularis habitus, menſque gratioſa,
Nulla vos coinquinet labes criminoſa,
Nullus faſtus elevet ad id, quod non eſtis,
Gravis in intuitu habitus ſit teſtis,
Nihil vos illaqueet curis inhoneſtis,
Quibus claves traditæ ſunt regni cœleſtis.
Eſtote breviloqui, ne vos ad reatum,
Pertrahat loquacitas, nutrix vanitatum.

 Ver-

Verbum quod loquimini ſit abbreviatum:
Nam in multiloquio non deeſt peccatum.
Eſtote benevoli, ſobrii, prudentes,
Juſti, caſti, ſimplices, pii, patientes,
Hoſpitales, humiles, ſubditos docentes,
Conſolantes miſeros, pravos corrigentes.
Nam ſi ſic geſſeritis curam paſtoralem,
Vereque vixeritis vitam ſpiritalem,
Poſtquam exueritis chlamydem carnalem,
Ipſe vobis conferam ſtolam immortalem..

EXERCITIUM MATUTINUM.

Expergefactus dic:
Vivat JESUS Amor meus,
Et MARIA Mater ejus.

Deinde cruce signans frontem, os & pectus:

JESUS Christus crucifixus, sit in omnibus meis cogita†tionibus, ver†bis, & ope†ribus.
Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum â facie ejus.

Sancte Deus, sancte fortis, sancte immortalis miserere nobis.

Per signum † Crucis de inimicis nostris, libera nos Deus noster.

Dum surgis.

IN nomine Dei, Patris, qui me creavit; & Filij, qui me Pretio Sangvinis sui redemit; & Spiritus sancti, qui me sanctificavit, surgo, ipsi honor & gloria in sæcula, Amē.

Cùm indutus fueris, flexis genibus.

1. *Sis gratus.*

ADoro te, O sanctissima Trinitas! te glorifico, laudo, benedico: tibi gratias ago pro universis naturæ, gratiæ, ac gloriæ donis mihi, aliisque hominibus & Angelis hactenus concessis: ac præsertim, quòd me inter tot corporis, animique discrimina salvum, & incolumem ad hunc usque diem servaveris, nocte hac etiam feliciter transacta: & quot, eheu! jam è suo cubili ad tuum tribunal rapti æternum perierunt? Vivens vivens ipse confitebitur tibi sicut & ego hodie.

2. *Cor offer.*

O Pater æterne, ad te primum ſuſpirium & æſtum cordis mei mitto, tibi me totum, & omnes animæ vires, & corporis ſenſus, & omnia offero. Suſcipe, mi Pater, hos novi diei primos amores, eosque incendio charitatis filii tui, meritiſque conjunge. Quid enim mihi eſt in Cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei?

3. *Opus diſpone futurum.*

ECce, mi amantiſſime JESU, te adſpirante firmiter ſtatuo, ardenti corde viam mandatorum tuorum currere, probi Chriſtiani officium explere, conſveta pietatis munia obire; univerſa denique & ſingula in nomine tuo facere, & pati. Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas!

4. *Vita peccatum.*

VEni, ſuccurre, ſancte Spiritus! adeone volens, videnſque fero-

cium me morſibus belluarum (ideſt peccatorum) objiciam! & vitio illi NN. me ſponte iterum ingeram? meliora Deus meus, meliora, tu, precor, in hoc diſcrimine anhelantem præſens robora, qui ſpopondiſti: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

5. *Subſidiumque pete.*

ADeſte mihi pariter, o beatarum agmina mentium: eja præ reliquis piiſſima virgo Dei, & mea optima Mater Maria, cum caſtiſſimò ſponſò tuo S. Joſepho ſuccurre: tuque Angele mi Cuſtos; voſque, ô vitæ meæ Patroni NN. & Sancti omnes, præſertim hac die celebres, inopem juvate, ducite cæcum, & claudum Tu verò præ omnibus adſpira, Deus meus, & omnia; In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.

Dire-

Directio Intentionis Matutinæ.

O Chriſte JESU, unica ſalus mea! Doleo ex toto corde de peccatis meis, teque amo ſuper omnia, ac tibi ad laudem, & gloriam Nominis tui ſempiternam & in gratiarum actionem pro univerſis beneficiis in me collatis, maximè autem pro beneficio Creationis, Conſecrationis in vita, Redemptionis, Nativitatis in Catholica Fide, Sanctificationis, Prædeſtinationis, Vocationis ad Statum Religioſum (*Sacerdotalem*) aliorumque ſpecialium donorum offero omnes Actiones meas hodiernas, & totius vitæ meæ, omnesque motus mentis & corporis, & omnia peragere, & ſuſtinere deſidero ex-ac in virtute Obedientiæ, ſolùm ob tuam Divinam voluntatem, & beneplacitum, in unione illius puriſſimi amoris, quo tu voluntatem Patris in omnibus perfeciſti; peto inſuper cunctas tam pro vivis, quàm defunctis,

quas

quas possum lucrari Indulgentias, easque applico Animabus in Purgatorio, rogans te per pretiosissimum Sangvinem tuum, quem pro nobis effudisti, ut omnes Animas, maximè verò NN. è Purgatorio liberare digneris, ut in Regno gloriæ tuæ te laudet, amet, & glorificet in æternum.

Si es Religiosus adde.

AD hæc renovo Vota mea, ac denuò novo fervore promitto Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam secundùm Regulam S. N. & in finem usque servare voveo. Sic me Deus adjuvet, & sancta Dei Evangelia.

Commenda te B. V. Mariæ.

GLoriosa DeiMater, &Regina Cœli S. Maria, patrona mea singularis, saluto te per dulcissimum Cor JESU Christi tui dilectissimi Filii, & commendo me hodie maternæ pietati tuæ, ut ad ejusdem Filii tui glo-

gloriam & salutem meam, proximique commodum omnia, quæ facturus sum, ritè instituantur, atque absolvantur; in omni etiam tribulatione, tentatione, angustia, & periculis, succurre mihi, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA.

Commenda particulariter tuam Castitatem.

PEr Immaculatam Conceptionem tuam, ac purissimam Virginitatem munda cor meum, & corpus meum Virgo Mater ante Partum, in Partu, & post Partum.

Oratio ad S. Josephum pro felici morte.

O S. Joseph, qui in svavissimo Christi JESU, & dulcissimæ sponsæ tuæ MARIÆ complexu ex hac vita emigrasti, succurre mihi ô sancte Pater cum JESU & MARIA, tunc potissimùm, quando mors vitæ meæ finem imponet, illudque, quod unicè peto, solatium mihi impe-

impetra, ut in iisdem SS. JESU, & MARIÆ brachiis exspirem. In manus vestras vivens & moriens commendo spiritum meum, JESU, MARIA, & JOSEPH, ut post hujus vitæ metam vivam vobiscum vitam lætam in Cœli Palatio, Amen.

Oratio ad S. Michaëlem pro felici morte.

PRinceps gloriosissime S. Michaël Archangele, ego humilis cliens tuus saluto per te dulcissimum Cor JESU Christi, quod tibi in augmentum gaudii, & gloriæ tuæ peramanter offero, gratias agens Deo pro beatitudine, quam tibi contulit, & quòd te super omnes alios Angelos honorare, & exaltare voluit. Tibi vitæ, & mortis meæ curam specialiter commendo; adsis mihi nunc & semper, & maximè in fine vitæ meæ, benignè me tunc consolare, conforta, & protege; impetra mihi augmentum Fidei,

Spei,

Spei, & Charitatis, nec permitte me à S. Fide deviare, nec in foveam desperationis deduci, neque de operibus bonis, si quæ per gratiam Dei operatus sum, præsumere; impetra peccatorum meorum veniam, spiritum bonum, humilitatem, & alias virtutes, maximè verò gratiam finalem, ut tecum Deum meum glorificem in sæcula.

Ad S. Angelum Custodem

SAluto te per svavissimum Cor JESU Christi, ò Sancte Angele Dei, Princeps nobilis, custos meus fidelis, cui me gubernandum Divina bonitas tradidit. Quantum tibi debeo, quòd indigno mihi tot annis, tamque fidelis assistis, & animi corporisque salutem procuras? commendo me tibi hodie, ut adversus malignum hostem te duce illæsus conserver, & in gratia Dei ad extremum usque halitum constans perseverem, & tecum in Cœlo Dominum

minum noſtrum laudem in æternum. Amen.

ANgele Dei, qui Cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna, hodie illumina, cuſtodi, rege, & guberna, Amen.

Ad Sanctum de quo Feſtum agitur.

VEneror, & ſaluto te per amabiliſſimum Cor JESU Chriſti, ô præclariſſime Cœli Civis Beate (Beata) N. & ex animo tibi congratulor de illo honore, & gloria, qua die aſſumptionis, & glorificationis tuæ, à Deo, & tota Cæli Curia es affectus (affecta) in augmentum gaudii, gloriæ, ac beatitudinis tuæ, offero tibi idipſum ſuperdigniſſimum Cor JESU Chriſti, rogans ut Deum pro me orare, mihi veniam peccatorum meorum, humilitatem, aliasque virtutes, ac gratiam finalem impetrare, mihique in hora mortis meæ aſſiſtere digneris, Amé.

Ad S.

Ad S. Antonium Padvanum, vel S. Patronum loci.

SAlve, ô electe mi, apud Divinam Majeſtatem Advocate, S. Antoni Padvane (N.) Salve, & bonitate conſveta reſpice me in principio hujus diei te venerantem, & auxilium tuum implorantem. Adſis mihi, ô S. Antoni, (N.) ut quidquid hodie rerum agam, ad majorem Dei gloriam idipſum dirigatur. Quapropter protege me contra tentationes inimici, nec permitte, ut tentationibus ſuccumbens, maligna delectatione, aut conſenſu peccem. Potiùs te adjuvante, tentationibus ſuperatis in virtute proficiam, quó Deo, ac Domino noſtro JESU Chriſto placere valeam.

Obſecro etiam, O S. Pater, ut ab omnibus mentis & corporis periculis me illæſum conſerves, nec ſinas confundi me, qui hac die omnipotenti Deo, benedictæ Virgini MA-

RIÆ, S. Josepho tibique, & omnibus Sanctis vivere, & servire desidero.

Ad SS. Patronos.

OBsecro vos ô Patroni mei NN. ut pro me indigno peccatore ipsi Deo supplicare dignemini, ut de fraudibus diaboli, & à damnatione perpetua liberari possim. Adjuvate me hodie, & quotidie precibus & meritis vestris, impetrate mihi apud Deum cunctorum veniam peccatorum, victoriam tentationum, gratiam sancti Spiritus, quæ me per omnia benè disponat, corpus regat, animam protegat, & ad vitam perducat æternam, Amen.

Exercitium Matutinum ab Alexandro VII. & Innocentio XI. summè commendatum, quotidie saltem semel exercendum.

I.

ADoro te ô Sanctissima Trinitas Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tres

tres Perſonæ, unus, & ſolus Deus, ac opitulante gratia tua, quàm ſupplex imploro, dejicio me in abyſſo mei nihili, ſub conſpectu Divinæ Majeſtatis tuæ.

2.

Credo firmiſſimè paratus mille vitas profundere in conteſtationem omnium eorum, quæ nobis in ſacra Scriptura revelaſti, & per Eccleſiam tuam credenda propoſuiſti.

3.

Omnem ſpem meam in te colloco, & quidquid poſſum habere boni ſive ſpiritualis, ſive corporalis, tam in hac, quàm in altera Vita, id totum deſidero, ſpero, & volo ſôlùm conſequi de manu tua Deus meus, Vita mea, & unica ſpes mea.

4.

Conſigno tibi hodie, & in perpetuum, corpus & animam meam, omnes potentias meas, memoriam, intellectum, voluntatem, & omnes ſenſus meos.

5.

Proteſtor me non conſentire, neque conſenſurum unquam, quantùm in me eſt, in ullam rem, quæ fiat vel cum minima offenſa tuæ Divinæ Majeſtatis.

6.

Propono firmiſſimè impendere omne eſſe meum, facultates, ac vires meas ad ſervitium, & gloriam tuam.

7.

Paratus ſum ſuſcipere quaſcunque adverſitates, quas mihi paterna tua Manus immiſerit, ad dandum guſtum beatiſſimo Cordi tuo.

8.

Vellem me totum, quantus quantus ſum, impendere, & procurare, ut ab omnibus tibi ſerviatur, atque omnes homines te glorificent, & ament Deum Creatorem ſuum.

9.

Gaudeo ſummè de tua æterna felicitate, & exulto de tua tam magna gloria in cælo & in terra.

Gra-

10.

Gratias tibi ago infinitas pro innumeris beneficiis, quæ mihi & toti mundo, B. V. ac SS. Humanitati Christi collocata sunt & in dies incessanter à benignissima tua Providentia conferuntur.

11.

Amo tuam infinitam Bonitatem propter se ipsam, ex toto affectu cordis, & animæ meæ, & vellem, si possem, te amare eo amore, quo te amant Angeli, & homines justi, B. Virgo, & Christus Dominus, cum quorum amore conjungo imperfectissimum amorem meum.

12.

Offero Divinæ Majestati tuæ, in unione meritorum Passionis, Vitæ, & Mortis Christi, B. semper Virginis & omnium Sanctorum, ex nunc pro semper, omnia opera mea, pretiosissimo Sangvine JESU

Redemptoris noſtri lota & involuta.

13.

Statuo omnium participem me facere, quantùm poſſibile eſt, Indulgentiarum per preces, & actiones hujus diei, & illas applicare per modum ſuffragii pro Animabus Purgatorii.

14.

Volo etiam omne illud, quod poſſum, offerre in pœnitentiam, & ſatisfactionem meorum peccatorum.

15.

Deus meus, cùm tu ſis infinitè dignus omni amore, & ſervitio; Siquidem tu es, qui es: doleo ex toto corde, de omnibus meis peccatis, illaque deteſtor ſuper omnia alia mala, quia tibi Deo meo, quem ſuper omnia amo, ſummopere diſplicent; peto humillimè veniam, facioque firmiſſimum propoſitum, nunquam offendendi tuam bonitatem in æternum.

16.

16.

In tua vulnera me projicio, ô JESU! ibi me abſconde, & defende hodie, & ſemper, donec mihi largiaris gratiam videndi te, & amandi in æternum.

JESUS, MARIA & JOSEPH!
Vobis dono meum cor, & animam
meam nunc, & in perpetuum,
Amen.



Theod: Rakowiecki Sc.

Aliæ
PRECES MATUTINÆ
Ex
LIBELLO GERTRUDIANO.
Salutatio Cordis Jesu.

ADoro, laudo & ſaluto, te dulciſſimum & vernans Cor JESU Chriſti, ex quo tanquam ex melliſluo gratiarum fonte omne bonum, omniſque dulcedo effluxit & effluit. Et ex totis viribus cordis mei ago tibi gratias, quòd me hac nocte cuſtodieris, Deoque Patri pro me laudes & gratiarum actiones perſolveris. Et nunc, ô dulcis amor meus, offero tibi miſerum & indignum cor meum in ſacrificium matutinum; & omni, qua poſſum, devotione includo & commendo illud dulciſſimo cordi tuo: rogans, ut divinas tuas fluxiones illi infundere, atque ſancto tuo amore accendere digneris, Amen.

COMMENDATIO AD JESUM

Quisquis ſe Deo commendaverit, peccatum aut vitabit omninò, aut brevi diluet per pœnitentiam. S. Gertrud. l. 3. c- 30.

PIe JESU in unione amoris illius, quo in cruce Patri ſpiritum commendaſti, commendo tibi ſpiritum, & animam meam, atque in ſacratiſſimum vulnus dulciſſimi cordis tui includo, ut in eodem ab omnibus inimici inſidiis protegantur. Tu noſti, bone JESU, & ego ſatis experior, quàm infirmus & labilis ſim, adeò, ut nec ulla hora ſine tua ſpeciali gratia in bono perſiſtere, aut ulli tentationi ex me reſiſtere poſſim. Ideò rogo per reverentiam unionis illius, qua Humanitas tua cauſa glorificationis noſtræ venerandæ Trinitati unitur, ut voluntatem meam tibi unire, & ne contra te inſurgere queat, confortare digneris. In unione innocentiſſi-

tiſſimorum membrorum tuorum commendo tibi ſingula membra corporis mei cum omni motu ſuo, ut hac die nunquam, niſi ad laudem & gloriam tuam, & propter amorem tuum commoveantur, Amen.

Gertrud. l. c. 5. 29.

SUSPIRIUM AD JESUM.

Gratiſſima Deo eſſe ſuſpiria præſertim matutina docuit Chriſtus S. Mechtildem. l. 4. 29.

Hic altùm ſuſpira, dicens.

AMantiſſime JESU, hoc primum hujus diei ſuſpirium, de fundo cordis mei hauſtum mitto ad te, ex omnibus viribus meis rogans, ut hac die omnes corporis & animæ meæ actiones per temetipſum in me operari, eaſdemque in corde tuo dulciſſimo emendatas unà cum perfectiſſimis operibus tuis, Deo Patri in laudem æternam offerre digneris, Amen.

INTENTIO MATUTINA.

Aureo calculo notantur in libro vitæ actiones illæ, quæ ex puro Dei amore procedunt, quare assvesce intentioni sequenti.

DOmine Deus, propter temetipsum mihi propono hodie & quotidie, omnes meas internas & externas actiones purè ad laudem tuam, & ad salutem universitatis perficere, tali intentione & modo, quem tu Deus meus adinvenire & optare potes: & in unione illius amoris, quo Filius tuus de cœlo descendit, & omne opus humanæ redemptionis, maximè tempore Passionis suæ, perfecit. Unde omnino abrenuntio omni merito, præmio & gratiæ, quæ per illa opera possem adipisci, ut possim tibi Deo meo laudem & amoris exhibitionem offerre. Amen.

PACTUM CUM DEO.

DEus omnipotens, ex amore & desiderio, te hac tota die laudandi, sanctifico, dico & consecro tibi omnes pulsus & motus cordis, & omnium arteriarum mearum, hocque pactum tecum ineo, quòd omnes eorum motus idem significent, quod hæc verba: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Quam significationem præfatis motibus inditam velim, adeò quòd à tua divina Majestate per eosdem idem intelligatur, quantum intelligitur per illud cœleste canticum à Seraphinis decantatum. Fiat, fiat, Amen.

PACTUM MAJUS.

Omni hebdomada iterandum.

Efficaciam hujus pacti, quæ certè maxima est, à contrario intelligere licet. Si quis enim secum statueret, quod, quoties pedem moveret, toties ratum & gratum haberet, quidquid unquam

quam mali actum est, optaretque, se ejus esse participem, quantæ is se culpæ obstringeret? Si igitur id in malo tam efficax est, quid ni & in bono immensæ virtutis ac meriti erit;

DOmine Deus, Creator meus, tu scis desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus: sed quia præsentis vitæ necessitates minùs sinunt, mentem laudi tuæ intendere; hinc tale pactum, quod tota hac hebdomada firmum permaneat, tecum ineo.

Quoties hac hebdomada cœlum suspexero, toties gratulabor & congaudebo tibi ob infinitas perfectiones tuas, quòd sis, qui es, Deus summè potens, sapiens, benignus & justus.

Quoties oculum clausero, vel aperuero, toties rata & grata habebo omnia opera & actiones, quas Unigenitus tuus, & omnes Sancti ac Justi ad laudem tuam unquam fecerunt

cerunt, & deinceps facient; meque horum participem fieri desidero.

Quoties halitum traxero, toties offero tibi vitam, passionem, & sanguinem D. N. JESU Christi, omniumque Sanctorum merita & passionem, in laudem æternam & salutem Universitatis, omniumque totius mundi peccatorum satisfactionem.

Quoties suspiravero, toties detestor & abominor omnia & singula peccata tam mea, quàm omnium hominum, ab initio mundi contra honorem nominis tui perpetrata, quæ utinam meo sangvine aliquatenus compensari possent.

Demùm quoties manum vel pedem movero; toties ex amore tui projicio, & resigno me totum in tuam sanctissimam voluntatem; optans, ut de me in tempore & æternitate disponas juxta tuum laudabilissimum beneplacitum. Et hæc

quin-

quinque pacta, ne unquam irritari possint, sacratissimis quinque vulnerum tuorum sigillis obsigno, eaque rata & valida esse volo, licèt tunc, cùm unum de iisdem edidero, de ipsis minimè cogitarem, Amen.

Renovatio hujus Pacti, vel signorum repetitio potest fieri his verbis.

VIvat JESUS in æternum, & super omnia, ipsi soli honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

vel

O JESU fiat voluntas tua sicut in Cœlo, & in terra.

vel

O *Deus* meus & omnia! ô Amor meus & omnia! ô JESU amo te super omnia!

Absoluta dein quotidiana Meditatione, prout tempus præscripserit, se præparet Sacerdos ad SS. Missæ Sacrificium, sed priùs discutiat conscien-

ſcientiam, ac juxta Paulum 1. Cor. 11 probet ſe ipſum, & ſic de Pane illo edat, & de Calice bibat, qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit; *Quare S. Auguſtinus Tract.* 26. *in Joann. ait.* Quàm multi de Altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur: nonne buccella Domini venenum fuit Judæ? & tamen accepit, & cùm accepit, in eum intravit inimicus; non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit. O quàm horrendum, *inquiebat Beata Virgo ad S. Birgittam. Rev: l.* 6. *cap.* 16. eſt miſeris, qui talem & tam digniſſimum Dominum indignis tractant manibus! *cur? quia tales Sacerdotes, ait Chriſtus apud eandem S. Viduam Rev. l.* 1. *c.* 47. tales Sacerdotes non ſunt mei Sacerdotes, ſed veri proditores; ipſi enim & me vendunt quaſi Judas, & produnt. Ego con-

ſpicio

ſpicio paganos & Judæos, ſed nullos video eis deteriores. Horum judicium eſt maledictio; *ne igitur tam terribilē incurramus maledictionem, neve judicium nobis manducemus & bibamus, Corporisque & Sangvinis Dei rei ſimus, audiamus Auguſtinum Tract. 26. in Joannem, nos peramanter exhortantem, & dicentem*: Videte ergo, Fratres, Panem Cœleſtem ſpiritaliter manducate, innocentiam ad Altare apportate: *quod ut fiat, exquirat Sacerdos Conſcientiam, & ſi quid pravi repererit, reſecet illud per veram Contritionem, per ſinceram Confeſſionem, firmumque emendationis propoſitum.*

PRO EXAMINE CONSCIENTIÆ.

Punctum I.

Gratiæ agendæ pro Beneficiis acceptis.

GRatias ago tibi Deus meus, quòd ex nihilo me condideris, & uſque in hanc horam conſervaveris, pretioſo Sangvine tuo me redemeris,

ris, Christiana fide me imbui volueris, postque innumera alia tam gratiæ, quàm naturæ beneficia tam benignè collata, ad statum hunc Religiosum, (*Sacerdotalem*) ex millibus elegeris, ac toties pretioso tuo Corpore & Sangvine refeceris; pro his omnibus immensas tibi gratias refero, precorque omnes Angelos, & Sanctos, B. Virginem, ac Christum Dominum, ut ipsi pro me tibi laudes dicant, ac immortales gratias pro me referant.

Punctum II.

Petendum lumen ad cognoscenda peccata.

DOmine Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina, quæso splendore gratiæ tuæ cor meum, ut sufficienter cognoscam defectus, & peccata mea, eaque cum vero cordis dolore, & contritione confitear, sicut oportet coram te, & Sacerdo-

te mi-

te ministro tuo, ac plenè pro iisdem satisfaciam, eadem emendem ad laudem, & gloriam tuam, & benedictæ Matris tuæ, ac Sanctorum omnium, & ad salutem animæ meæ, Amen.

Punctum III.

Examinanda hic est Conscientia, quid cogitaveris, dixeris, vel feceris, sed & considerandus status, Officium, Vocatio, &c. sic facilè, quid commissione, quid omissione peccaveris, agnosces.

Punctum IV.

Eliciendus posteà Actus Contritionis, & formandum firmum emendationis propositum.

DOmine JESU Christe, verus Deus & homo, Creator ac Redemptor meus.

2. Pœnitet me ex toto corde, quòd offenderim te Dominum, & Deum meum.

3. Quem amo super omnia.

4. Et

4. Et propono firmiter ampliùs non peccare, omnesque peccandi occasiones devitare, confiteri & implere pœnitentiam, quæ mihi fuerit injuncta,

5. Et in satisfactionem peccatorum meorum offero tibi sacratissimam vitam, Passionem, ac mortem tuam, totumque pretium sangvinis tui pro nobis effusi, merita quoque B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, atque omnia opera mea, & totam vitam meam.

6. Et confido in bonitate & misericordia tua infinita, quòd per merita pretiosi Sangvinis tui, mihi remissurus sis omnia delicta mea.

7. Et gratiam uberem largiturus, qua vitam sanctè instituere, tibique perfectè usque in finem servire valeam: Qui cum Patre sanctoque Spiritu vivis & regnas Deus in sæcula benedictus, Amen.

DEUS PROPITIUS ESTO MIHI PECCATORI.

JESU FILI DAVID MISERERE MEI.

Ingressurus Confessionale, dic:

ECce Domine, ego vilis peccator, pauper, malus & indignus venio ad te superfluentem abyssum pietatis, ut laver ab omni macula, & munder ab omni peccato, Amē.

Post Confessionem dic. Psalm. 102.

BEnedic anima mea Domino: & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino: & noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas:

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus.

Miserator, & misericors Dominus:

nus: longanimis, & multùm misericors.

Non secundùm peccata nostra fecit nobis: neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis.

Quantùm distat Ortus ab Occidente longè fecit à nobis iniquitates nostras.

Quomodò miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum,

Benedicite Domino omnes Angeli ejus: ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus: benedic anima mea Domino.

Gloria Patri, &c.

Oratio post Confessionem,

GRatias tibi ago pientissime JESU, quòd me indignum peccatorem ad pœnitentiam patienter expectaveris, veniam & indulgentiam

peccatorum mihi concesseris.

Suscipe, obsecro, hanc humilem confessionem meam, quam feci, & quidquid mihi nunc defuit ad plenam & sinceram enumerationem peccatorum meorum, & convenientem pro iisdem dolorem, Tu ex fonte Misericordiæ tuæ benignè supplere digneris, meque perfectè absolutum habere in cœlis: & præsta auxilium gratiæ tuæ, ut deinceps peccata devitem, ac fideliùs tibi serviam, intercedente gloriosa Virgine Genitrice tua Maria, & omnibus Sanctis, qui tibi placuerunt ab initio mundi: Juravi enim & statui deinceps custodire judicia justitiæ tuæ, te adjuvante; Qui vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum Aē.

Alia oratio post Confessionem, quâ petitur remissio peccatorum per Merita B. V. M. & SS.

SIt tibi Domine, obsecro, meritis Beatæ semper Virginis, genitricis tuæ

cis tuæ Mariæ, & omnium Sanctorum grata, & accepta ista confessio mea: & quidquid mihi defuit nunc, & aliàs de sufficientia contritionis, de puritate, & integritate confessionis, suppleat pietas & Misericordia tua, & secundùm illam me digneris habere pleniùs, & perfectiùs absolutum in cœlo. Qui vivis & regnas &c.

Oblatio SS. Conversationis & Passionis Christi pro peccatis.

O Amantissime Pater, in satisfactionem, & emendationem omnium peccatorum meorum, offero tibi Conversationem perfectissimam Unigeniti tui, omnemque ejus SS. Passionem, quam ipse pro nobis ingratissimis peccatoribus pertulit ab illa hora, qua idem Verbum tuum caro factum est, usque ad horam illam, qua inclinato capite in Cruce clamore valido Spiritum emisit, rogans per Merita ejus, ut de-

leas omnia peccata mea, gratiam conferas, ut eligam potiùs millies mori, quàm ut te summum Bonum meum, teque Patrem, ac Deum meum amantissimum, quem super omnia amo, & amare volo, unquam ampliùs offendam, & præstes, ut te solum deinceps diligam, soli tibi placere cupiam, qui solus omnem omnium creaturarum mereris amorem, Amen.

SE-

SEQUUNTUR
Exercitia varia & preces ante & post Missam piè usurpanda.

PRÆPARATIO AD MISSAM.
Pro opportunitate Sacerdotis facienda.

Antiphona.

NE reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Quæ Antiphona in festis Duplicibus tantùm duplicatur. Et tempore Paschali additur in fine, Alleluia. *Deinde dicuntur sequentes Psalmi.*

Psalmus 83.

QUàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.

Ete-

Etenim paſſer invenit ſibi domum: & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos,

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco, quem poſuit.

Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Jacob.

Protector noſter aſpice Deus: & reſpice in faciem Chriſti tui.

Quia melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia.

Elegi abjectus eſſe in domo Dei

mei,

mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus: gratiam, & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui ſperat in te.

Gloria Patri.

Pſalmus 84.

BEnedixiſti Domine terram tuam: avertiſti captivitatem Jacob.

Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum.

Mitigaſti omnem iram tuam: avertiſti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus ſalutaris noſter: & averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum iraſceris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Deus tu converſus vivificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

Oſten-

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam : & ſalutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus : quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.

Et ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum ſalutare ipſius : ut inhabitet gloria in terra noſtra.

Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi; juſtitia & pax oſculatæ ſunt.

Veritas de terra orta eſt : & juſtitia de cœlo proſpexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem : & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtitia ante eum ambulabit : & ponet in via greſſus ſuos.

Gloria Patri.

Pſalmus 85.

INclina Domine aurem tuam, & exaudi

exaudi me: quoniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum: ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantem in te.

Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine ſvavis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudiſti me,

Non eſt ſimilis tui in diis Domine: & non eſt ſecundùm opera tua.

Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuũ.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus ſolus.

De-

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, & Synagoga potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & verax.

Respice in me, & miserere mei, da imperium tuum puero tuo: & salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.

Gloria Patri.

Psal.

Psalmus 115.

CRedidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atriis domûs Domini, in medio tui Jerusalem.

Gloria Patri.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina usque ad noctem, ſperet Iſraël in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia; & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraël, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri.

Deinde repetitur Antiphona.

NE reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum,

rum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Posteà Sacerdos dicit:

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationẽ.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Ego dixi, Domine miserere mei.
℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.
℣. Convertere Domine aliquantulũ
℟. Et deprecare super servos tuos.
℣. Fiat misericordia tua Domine super nos.
℟. Quemadmodũ speravimus in te.
℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.
℟. Et Sancti tui exultent.
℣. Ab occultis meis munda me Domine.
℟. Et ab alienis parce servo tuo.
℣. Domine exaudi orationem meã.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

AUres tuæ pietatis, mitiſſime Deus, inclina precibus noſtris, & gratia ſancti Spiritus illumina cor noſtrum: ut tuis myſteriis dignè miniſtrare, teque æterna charitate diligere mereamur.

DEUS, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum: purifica per infuſionem ſancti Spiritus cogitationes cordis noſtri: ut te perfectè diligere, & dignè laudare mereamur.

URe igne ſancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, Domine: ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

MEntes noſtras, quæſumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet: & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem.

Adſit

ADsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus sancti: quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis.

DEUS, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

COnscientias nostras quæsumus Domine visitando purifica: ut veniens Dominus noster JESUS Christus Filius tuus paratam sibi in nobis inveniat mansionem: Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Gregorius XIII. Pontifex Maximus concessit cuilibet dicenti ante Missam, quæ sequuntur, quinquaginta annorum Indulgentiam.

Ego volo celebrare Missam, & conficere corpus & sangvinem Do-

mini nostri JESU Christi, juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei, totiusque Curiæ triumphantis, ad utilitatem meam, totiusque Curiæ militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere, & in specie, & pro felici statu sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens, & misericors Dominus. Amē.

DIRECTIO INTENTIONIS ANTE MISSAM.

1. *Offertur cum purissima intentione.*

DOmine Deus, ego intendo hoc manè quàm maximo amoris, reverentiæ, & devotionis affectu SS. Missæ Sacrificium Majestati tuæ, cui

cui soli debetur, offerre juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & ex nunc offero illud unà cum omnibus sacrificiis tibi gratissimis, simulque pretium Sangvinis JESU Christi, merita B. Virginis & omnium Sanctorum, totiusque Ecclesiæ preces, & laudes, in Unione illius sacrificii, quod Christus in ultima Cœna instituit, & in Cruce consummavit, factus ipse Sacerdos, & Victima, affectu & nomine ejusdem Domini nostri JESU Christi, totiusque Ecclesiæ: ex puro tui amore, ac desiderio tui Beneplaciti semper, & in omnibus perficiendi.

2. *Pro gloria Dei & Sanctorum.*

OFfero tibi illud in protestationem supremæ ac increatæ tuæ Excellentiæ, Dominii tui in omnes creaturas, & nostræ subjectionis & dependentiæ à te; in gratiarum actionem omnium beneficiorum ulli unquam creaturæ collatorum, & con-

conferendorum, in plenam abolitionem omnis injuriæ ab ullo unquam tibi irrogatæ vel inferendæ, ac in cultum latriæ tibi ſoli debitum, cum omnibus adorationibus Chriſti, B. V. ac omnium Angelorum, & Sanctorum; Item in augmentum gaudii Humanitatis Domini N. JESU Chriſti, in memoriam Vitæ & Paſſionis ejusdem, & in augmentum gloriæ ac Beatitudinis Immaculatiſſimæ V. omniumque Angelorum & Sanctorum.

3. *Pro ipſo celebrante.*

OFfero etiam illud in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi collatis, in ſatisfactionem pro peccatis meis, de quibus ſummopere doleo, propter offenſam, & injuriam, quam tibi irrogavi, cum firmo emendationis propoſito, & pro omnibus meis præſentibus, & futuris animæ & corporis neceſſitatibus.

4. *Pro omnibus aliis.*

OFfero demum pro omnibus vivis, atque defunctis, pro quibus Dominus noster JESUS Christus, & Virgo MARIA, sciunt & volunt, ut sacrificem; pro parentibus, amicis, consangvineis, ac benefactoribus meis, pro omni gradu sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, Christianorum Principum unione, hæresum & schismatum extirpatione, omnium infidelium nationum conversione, pro totius Cleri, & omniũ Religiosorum statuum conservatione & augmento, & pro animarum in Purgatorio existentium liberatione, maximè autem pro N. N. qui eleemosynam dederunt, & reliquerunt, ut secundùm eorum voluntatem hanc Missam celebrem, quibus intendo hunc fructum applicare, quantùm scis, me posse, vel debere.

2. *Con-*

2. *Conclusio, & supplicatio.*

REspice ergo me indignissimum famulum tuum, quem pro vivis & defunctis legatione apud te fungi voluisti, ut defunctis requiem indulgeas, & vivis veniam, gratiamque concedas tibi rectè, fideliterque serviendi, & in amore tuo usque in finem perseverandi, Amen.

3. *Petitiones ad B. V. (quas ipsa B. V. S. Gertrudem docuit lib. 4. c. 40.) pro digna dispositione ad SS. Missæ Sacrificium.*

1. CAstissima Virgo Maria, rogo te per illam innocentissimam puritatem, qua Filio Dei in utero tuo virginali placitam mansionem præparasti, ut tuis precibus ab omni macula merear emundari.

2. Humillima Virgo Maria, rogo te per profundissimam illam humilitatem, qua super omnes choros Angelorum, & Sanctorum meruisti exaltari, ut tuis precibus supplean-

tur

tur omnes negligentiæ meæ.

3. Amabilissima Virgo Maria, deprecor te per amorem illum inæstimabilem, qui te inseparabiliter Deo conglutinavit, ut tuis precibus præstetur mihi copia diversorum meritorum, Amen.

Ad sanctissimum P. Benedictum vel alium sanctum Patronum Ordinis ante Missam Oratio.

O Beatissime ac sanctissime Christi Confessor, Monachorum & Religiosorum Pater & Dux Benedicte! vel (N.) Ecce ego miser peccator, qui non sum dignus vocari filius tuus, nil de mea justitia præsumens, sed de clementia Dei & tuis gloriosis meritis confidens, intendo nunc offerre divinæ Majestati cœleste Sacramentum Corporis & Sangvinis Domini nostri JESU Christi pro tua gloria & beatitudine. Obsecro igitur te, Pater sanctissime, per illius amorem & honorem,

qui

qui te elegit de mundo, & in conſpectu ſuo beatificavit, ut digneris ſic ardenter orare pro me, ut tuarum precum interventu adjutus, diviniſſimum myſterium dignè tractare, & ſumere valeam, & ab omnibus malis corporis & animæ defendi, ut tandem tecum, & cum omnibus ſanctis Monachis, & aliis Dei Electis pervenire merear ad laudandum & poſſidendum ejus beatiſſimam viſionem æternaliter in cœlis, Amen.

Ad Sanctum vel Sanctam, de quo vel qua feſtum agitur illo die, ante Miſſam Oratio.

O Sancte N.! vel Sancta N.! Cujus hodie memoriam in terris celebramus, ego fragilis peccator, de tuis meritis confidens, intendo hoc manè offerre ſacratiſſimum Sacramentum corporis & ſangvinis Domini noſtri JESU Chriſti pro tuo honore & gloria. Pre-

cor

cor te humiliter & devotè ut pro me hodie intercedere digneris, ut tantum sacrificium dignè & acceptabiliter offerre valeam, & eum tecum, & cum omnibus Electis ejus æternaliter laudare, & cum eo regnare merear, Amen.

ORATIO AD OMNES ANGELOS & SANCTOS.

ANgeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes Cœlorum, Cherubim, atque Seraphim, omnes Sancti & Sanctæ Dei, præsertim Patroni mei, intercedere dignemini pro me, ut hoc Sacrificium Deo omnipotenti dignè valeam offerre, ad laudem & gloriam nominis sui, & ad utilitatem meam, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ, Amen.

Terna amoris ad Jesum suspiria ante Missam.

1. ACcende, ô JESU, igne amoris tui cor meum (quod tibi

in holocauſtum offero) omnesque terreni amoris flammas extingve; ut nihil in mundo mihi placeat præter te. In amore tui vivere cupio & mori exopto.

2. Vota tua, mi JESU, ſunt: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Et expanſis in Cruce brachiis me expectas. En venio, ô JESU! admitte me, obſecro, & concede, ut in amoris tui complexu tibi ſemper conjunctus permaneam.

3. Præcipitur mihi, ne appaream in conſpectu tuo vacuus. Sed quid dabo tibi, mi JESU? accipe tuæ bonitatis dona, animæ meæ facultates, quas tibi in obſequium offero, memoriam, intellectum, voluntatem. Tui ſolius meminerim, nihil ſciam extra te, nihil præter te amem, nec in ulla re mea, ſed tui ſolius voluntas fiat, Amen.

ORATIONES.

Pro opportunitate Sacerdotis ante Celebrationem & Communionem dicendæ.

Oratio S. Ambrosii Episcopi. Die Dominica.

SUmme sacerdos, & vere Pontifex JESU Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram & immaculatam in ara Crucis pro nobis miseris & peccatoribus, & qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, & sangvinem tuum ad bibendum, & posuisti mysterium istud in virtute Spiritus sancti tui, dicens: Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis. Rogo per eumdem sangvinem tuum, magnum salutis nostræ pretium: rogo per hanc miram & ineffabilem charitatem, qua nos miseros & indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos à peccatis nostris in sangvi-

guine tuo. Doce me ſervum tuum indignum, quem inter cætera dona tua etiam ad officium ſacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ: doce me, quæſo, per Spiritum ſanctum tuum, tantum tractare myſterium ea reverentia & honore, ea devotione & timore, quibus oportet, & decet. Fac me per gratiam tuam ſemper illud de tanto myſterio credere & intelligere, ſentire & firmiter tenere, dicere & cogitare, quod tibi placet, & expedit animæ meæ. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui ſonet ibi ſine ſono, & ſine ſtrepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe ſunt nimis, & ſacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Miſſarum ſolemnia mundo corde & pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis & ne-

nefandis, vanis & noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia & fida custodia, ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii, & per manum sancti Angeli tui repelle à me, & à cunctis servis tuis, durissimum spiritum superbiæ & cenodoxiæ, invidiæ & blasphemiæ, fornicationis & immunditiæ, dubietatis & diffidentiæ. Confundantur qui nos persequuntur: pereant illi qui nos perdere festinant.

Feria secunda.

REx virginum, & amator castitatis & integritatis, cœlesti rore benedictionis tuæ extingve in corpore meo fomitem ardentis libidinis: ut maneat in me tenor castitatis corporis & animæ. Mortifica in membris meis carnis stimulos, omnesque libidinosas commotiones, & da mihi veram & perpetuam ca-

ſtitatem cum cæteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate, ut ſacrificium laudis caſto corpore, & mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione, & lacrymarum fonte, quanta reverentia & tremore, quanta corporis caſtitate, & animæ puritate iſtud divinum & cœleſte ſacrificium eſt celebrandum, ubi caro tua in veritate ſumitur, ubi ſangvis tuus iu veritate bibitur, ubi ima ſummis, terrena divinis junguntur, ubi adeſt ſanctorum Angelorum præſentia, ubi tu es ſacrificium & ſacerdos mirabiliter & ineffabiliter conſtitutus?

Feria tertia.

QUis dignè hoc ſacrificium celebrare poterit, niſi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio Domine, & verè ſcio, & idipſum pietati tuæ confiteor, quia non ſum dignus accedere ad tantum myſterium propter nimia pecca-

peccata mea, & infinitas negligentias meas. Sed ſcio, & veraciter ex toto corde meo credo, & ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine, & de peccatoribus juſtos & ſanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo Deus meus ut concedas mihi peccatori hoc ſacrificium celebrare cum timore & tremore, cum cordis puritate, & lacrymarum fonte, cum lætitia ſpirituali, & cœleſti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatiſſimæ præſentiæ tuæ, & excubias ſanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

Feria quarta.

EGo enim, Domine, memor venerandæ paſſionis tuæ accedo ad altare tuum, licèt peccator, ut offeram tibi ſacrificium, quod tu inſtituiſti, & offerri præcepiſti in commemorationem tui, pro ſalute

noſtra. Suſcipe illud, quæſo, ſumme Deus, pro Eccleſia ſancta tua, & pro populo quem acquiſiſti Sangvine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te & eumdem populum tuum medium eſſe voluiſti, licèt in me aliquod boni operis teſtimonium non agnoſcas, officium ſaltem diſpenſationis creditæ non recuſes, nec per me indignum, eorum ſalutis pereat pretium, pro quibus victima ſalutaris dignatus es eſſe redemptio. Profero etiam Domine (ſi digneris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miſerias orphanorum, neceſſitates peregrinorum, inopiam debilium, deſperationes langventium, defectus ſenum, ſuſpiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Feria quinta.

TU enim miſereris omnium Domine: & nihil odiſti eorum quæ feci-

fecisti. Memorare quæ sit nostra substantia : quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es : ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer à nobis Domine iniquitates nostras : & ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra : & da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te perfruatur. Oramus Domine clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam, sacri tui nominis officia præstolantem aspicere digneris : & ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse propitius audire, & exaudire delecteris.

Feria sexta.

ROgamus etiam te, Domine sancte

ĉte Pater, & pro ſpiritibus fidelium defunctorum: ut ſit illis ſalus, ſanitas, gaudium, & refrigerium, hoc magnum pietatis ſacramentum. Domine Deus meus, ſit illis hodie magnum & plenum convivium de te pane vivo, qui de cœlo deſcendiſti, & das vitam mundo, de tua carne ſancta & benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quæ de ſancto & glorioſo beatæ virginis Mariæ utero eſt aſſumpta, & de Spiritu ſancto concepta; ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo ſacratiſſimo latere manavit, ut exinde refecti & ſatiati, refrigerati & conſolati exultent in laude & gloria tua. Peto clementiam tuam Domine, ut deſcendat ſuper panem tibi ſacrificandum plenitudo tuæ benedictionis, & ſanctificatio tuæ Divinitatis. Deſcendat etiam, Domine, illa ſancti Spiritus tui inviſibilis incom-

comprehensibilisque Majestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat, qui & oblationes nostras Corpus & Sangvinem tuum efficiat, & me indignum Sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate, & lacrymarum devotione, cum reverentia & tremore, ita ut placidè ac benignè suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum, quàm defunctorum.

Sabbato.

ROgo etiam te Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium Corporis & Sangvinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur & potamur, abluimur & sanctificamur, atque unius summæ divinitatis participes efficimur, da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus, bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut hæc cœlestia Sacramenta efficiantur mihi salus & vita. Tu enim

nim dixisti ore tuo ſancto & benedicto: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis dulciſſime, ſana palatum cordis mei, ut ſentiam ſvavitatem amoris tui. Sana illud ab omni langvore, ut nullam præter te ſentiam dulcedinem. Panis candidiſſime habens omne delectamentum, & omnem ſaporem, qui nos ſemper reficis, & nunquam in te deficis, comedat te cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ. Manducat te Angelus ore pleno, manducet te peregrinus homo pro modulo ſuo, ne deficere poſſit in via, tali recreatus viatico. Panis ſancte, panis vive, panis munde, qui deſcendiſti de cœlo, & das vitam mundo, veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.

ritûs. Intra in animam meam, sana & munda me interiùs & exteriùs. Esto tutamen, & continua salus animæ & corporis mei. Repelle à me insidiantes mihi hostes: recedant procul à præsentia potentiæ tuæ, ut foris & intus per te munitus, recto tramite ad tuum regnum perveniam, ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cùm tradideris regnum Deo & Patri, & eris Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita ut nec esuriam, nec sitiam in æternum. Qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu sancto vivis, & regnas per omnia sæcula sæculorum, Amen.

ALIA DEVOTA EXERCITIA ante Missam ex S. Francisco Salesio Episcopo Genevensi.

Depositis per pœnitentiæ Sacramentum peccatis, sepone tibi ut minimum

nimum horæ quadrantem, atque ubi te in miſeriarum tuarum abyſſum dejeceris, elice ſequentes actus.

1. *Actus Adorationis.*

O Deus trine in perſonis, & unus in eſſentia, & tu Domine JESU Chriſte, verus Deus & homo, ex toto corde te adoro, te confiteor, te meum eſſe verum & unicum Creatorem, Salvatorem, & meum ultimum finem. Et quia mea adoratio nimis exigua & debilis eſt, tibi offero excellentes illas adorationes, quas continuò tibi perſolvit tua ſanctiſſima Humanitas, & tuaglorioſiſſima Genitrix Virgo Maria, totaque Curia cœleſtis, ac ſancta Eccleſia Catholica, tua dilecta Sponſa.

2. *Actus Amoris.*

Inſuper ô Domine, ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus te amo, & te ſuper omnia amare deſidero, & ſi poſſibile eſſet, te amare cuperem illo amore per-

fectiſ-

fectissimo, quo teipsum amas, & quo tua sanctissima Humanitas, & gloriosissima Virgo Maria, cum tota cœlesti Curia & sancta Ecclesia Catholica te amant.

3. *Actus Contritionis.*

Et cùm, ô Domine, sis infinitè bonus, sapiens, potens, justus & misericors, ideò ex toto corde doleo, & super omnia detestor omnia mea peccata mortalia, & venialia, quæ unquam cogitatione, verbo & opere, à primo instanti, quo usum rationis habui, usque ad præsentem horam commisi. Et loco mei imperfecti doloris, tibi offero amaram illam contritionem, quam sanctus Propheta David, sanctus Petrus, & sancta Maria Magdalena, imò omnes veri pœnitentes unquam habuerunt ab origine mundi usque ad præsens; cum voluntate absoluta, te nunquam ampliùs, adjuvante tuâ divinâ gratiâ, offendendi.

4. *Actus Satisfactionis.*

Et quia, ô Domine, in mea non est potestate, ut satisfaciam tot debitis, quibus ob mea peccata & offensas, me plusquàm obligatum profiteor, ideò in satisfactionem eorum offero tibi totam vitam meam, omnia opera mea, omnes labores, pœnas & dolores, quos sustinui, & adhuc sustenturus sum, cum meritis vitæ, passionis & mortis tui Unigeniti Filii, humillimè petens veniam omnium meorum delictorum, & efficacem gratiam, ut de iis ante mortem, veram pœnitentiam agere possim.

5. *Actus oblationis.*

Præterea, ô Domine, cum hocce meo Sacrificio me tibi totum ad tuum honorem, & æternam gloriam offero & consecro in unione illius ardentissimi amoris, & purissimæ intentionis, quibus te ipsum in ultima Cœna nobis in cibum tradidi-

didisti, & in ara Crucis sacrificium cruentum pro nobis obtulisti. Et loco meæ exiguæ præparationis, ac præsentis meæ parvæ devotionis tibi offero profundam illam humilitatem, charitatem, puritatem, cum quibus tua sanctissima Mater & omnes tui fideles & famuli ad hoc SS. Sacramentum accesserunt, & quibus ornati tui sancti Apostoli, imò omnes Sancti Sacerdotes hocce tremendum Sacrificium tibi obtulerunt à prima tua institutione usque ad præsens, & quibus nunc adornata tua sancta Ecclesia Catholica ubique locorum offert.

6. *Tandem concludes, pro quibus personis tibi celebrandum, & pro quibus necessitatibus orandum: Et ultimò recordaberis aliquorum mysteriorum vitæ & Passionis D. N. JESU Christi modo subsequenti.*

MYSTERIA VITÆ ET PASSIONIS D. N. J. C. ante Miſſam meditanda ac in ſingulos hebdomadæ dies diſtributa.

D I E L U N Æ

Conſiderabis myſteria Incarnationis Dominicæ, & Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis ſubſequenti modo.

I. *Deſcendas cum omni humilitate ad tuum nihilum, in ſpiritu æterno Patri dicens:*

O æterne, Pater, in honorem & gloriam tuæ immenſæ majeſtatis, pro ſalute mea, & totius mundi, tibi offero profundiſſimum illud myſterium Incarnationis Unigeniti Filii tui, qui æterno tuo decreto pro mea, & totius mundi redemptione, verus Deus factus eſt Homo, Æternus Temporalis, Infinitus Finitus, Impaſſibilis Paſſibilis, Immortalis Mortalis, Dominus Servus, Glorioſiſſimus Contemptibilis. Tibi offero

fero, ô Deus meus & Dominus, novem illos menses, quibus in sacratissimo virginali utero novem mensibus inclusus fuit. Et in particulari illam immensam charitatem, humilitatem, & obedientiam, quibus hocce mysterium ad tuam gloriam, pro mea, & totius mundi salute adimplevit: Ob quod tibi gratias ago, te amo, & in infinitum benedico, humillimè petens meritis hujus mysterii veniam omnium meorum peccatorum, ac gratiam, ut te omnibus diebus vitæ meæ perfectè amare valeam.

II. Insuper tibi offero eadem humili intentione sanctissimum mysterium Visitationis gloriosæ Virginis Mariæ, & in specie ardentem illam charitatem, & humilitatem, animi promptitudinem, quibus per aspera & montosa loca è Nazareth usque in Judæam, ad serviendum tuæ famulæ sanctæ Elisabeth, hoc-

ce tam longum iter aggreſſa eſt. Tibi offero ejus humilia, & grata ſervitia, quæ ſpatio trium menſium illi fideliter exhibuit. Ob quæ in infinitum te laudo & benedico, gratias agens, ſimulque petens virtute hujus myſterij perfectam erga proximum charitatem, ad ipſi promptè & hilariter in omnibus neceſſitatibus, ſpiritualibus & corporalibus, ſerviendum.

DIE MARTIS.

Recordaberis myſterii Præſentationis Domini in templo, & fugæ ipſius in Ægyptum, dicens:

O Pater æterne, pro tuo honore & gloria, & pro mea & totius mundi ſalute, tibi offero myſterium Præſentationis Filii tui in templo. ac Purificationis ſuæ immaculatiſſimæ Matris, quæ licèt purior eſſet omni creatura, & Purificationis legi nullatenus ſubdita, non tamen recuſavit inter alias immundas mulieres

lieres reputari, & ea omnia, quæ à lege mandantur, operari. Ob quæ tibi gratias ago, te amo ac benedico in æternum, humiliter petens meritis tam eminentis humilitatis, & obedientiæ donum veræ humilitatis, ac mei ipsius parvæ æstimationis, ac perfectæ obedientiæ mandatorum tuorum, ac sanctarum inspirationum.

II. Insuper tibi offero laboriosam illam Filii tui fugam in Ægyptum, & tam longi itineris molestias, illamque tenerrimam compassionem suæ Matris Virginis Mariæ, ac sancti sui Patris nutritii Josephi, dum jam vix natum ad necem inquiri intuebantur. Tibi offero extremam eorum paupertatem, quam in Ægypto passi sunt, omni auxilio destituti: labores, quos per septennium in acquirendo necessario victu & vestitu sustinuerunt, eorùmque reditum, non minùs laboriosum, in

Na-

Nazareth. Ob quæ omnia tibi gratias ago, te amo, & in infinitum benedico, petens meritis hujus mysterii, verum odium omnis peccati, ut tui lethalis persecutoris & inimici, ac auxilium tuæ divinæ gratiæ, occasiones peccatorum evitandi: Et ut sim in posterum sanctæ paupertatis verus amator.

DIE MERCURII.

In memoriam reduces sacrum Domini nostri jejunium, ejusque sanctam prædicationem, inquiens:

O Pater æterne, tibi offero ad tuum honorem & gloriam, pro salute mea, & totius mundi, quadraginta illos dies ac noctes, quibus in deserto tuus Unigenitus jejunavit: famem & sitim, quam ibidem passus est, & inter bestias suam requiem super nudam humum, sua profunda cordis suspiria, ac ex suis purissimis oculis largissimas lacrymas, ardentissimas suas orationes,

quas

quas pro salute mundi, maximè verò suorum Electorum tibi obtulit, imò & importunas & molestas tentationes diaboli, quas sustinuit. Ob quæ omnia tibi gratias ago, te amo, te benedico ac revereor in infinitum, petens per merita illorum, amorem pœnitentiæ ac mearum passionum mortificationem, studiumque orationis, ac victoriam contra omnes quascumque tentationes.

II. Insuper ô Domine, tibi offero plures & magnos, quos in prædicando tuus Filius sustinuit labores, ardentem ipsius zelum tui honoris, ac salutis animarum, ipsius sudorem, lassitudinem & pœnas, quas passus est: ut & malevolentiam, odium & persecutiones perfidorum Judæorum, itinera varia de loco ad locum, quæ fecit pro salute animarum, vigilias per integras noctes, perseverans in oratione Dei. Ob

quæ

quæ omnia tibi ſupremas gratias ago, & in infinitum te benedico & reverеor, petens meritis horum omnium ardentem zelum tui divini honoris & ſalutis animarum, & ad hunc finem deſiderium, omnem laborem ac difficultatem in tuo ſervitio exaltandi.

DIE JOVIS.

Recordaberis capturæ Domini JESU, quomodo ductus ad Annam, illuſus in domo Caiphæ, dicens:

O Pater æterne, tibi offero ad meam ſalutem, totiusque mundi, crudelem furorem, indignam irruptionem impiorum Judæorum in captura tui Filii, funes & catenas, quibus ſtrictiſſimè & inhumaniter ipſum conſtrinxerunt, manibus & pedibus ipſum percutientes, & ſacram ejus faciem cædentes, & enormiter blaſphemantes, omnem furorem & rabiem in ipſum effuderunt, & trahentes

ipsum crudeliter per viam ad Annam deduxerunt. Tibi pariter, ô Pater æterne, offero fugam Discipulorum, abnegationem Petri, traditionem Judæ, crudelem illam alapam, quæ ipsi in præsentia Pontificis inflicta fuit. Sed & ipsius incredibilem patientiam, humilitatem & obedientiam, quibus has omnes injurias fortiter sustinuit. Ob quæ omnia tibi gratias ago, te amo ac benedico in infinitum, petens harum suarum pœnarum meritis veniam omnium mearum dissolutionum, & hanc gratiam, ut perfecta charitate tibi unitus permaneam, ut patienter amore tui omnes injurias mihi inferendas sustinere valeam.

II. Insuper ô æterne Pater, tibi offero omnes injurias, contemptus, illusiones, quæ ipsi in domo Caiphæ tota illa nocte irrogatæ fuerunt, ubi alta voce ab ipso Caipha blasphe-

ma-

mator proclamatus fuit, turpi & fœtenti velo ejus sacri oculi velati, sacratissima facies alapis cæsa & sputis fœdata, barba ejus ex parte, ut & capilli capitis evulsi, injuriosissima verba in ipsum prolata per irrisionem: *Prophetiza nobis, quis te percussit?* Insuper summo manè cum ignominia non dissimili ad Pilatum ductus. Ob hæc omnia à Filio tuo perpessa, infinitas gratias tibi ago, ac te benedico, per tot pœnarum merita humiliter petens verum mei ipsius & omnium honorum mundi contemptum, & cæcam obedientiam in omnibus, quæ mihi à Superioribus meis injuncta fuerint.

DIE VENERIS.

Memor eris coronationis spineæ, & bajulationis Crucis ab ipso Domino in montem Calvariæ, sic loquens.

O Æterne Pater, tibi offero pro tua gloria & honore, meaque ac to-

ac totius mundi salute, illam furiosam coronationem de spinis sacratissimi Capitis tui amabilissimi & amantissimi Filii, purpuream vestem, qua non tam indutus, quàm à Judæis illusus fuit, arundinem marinam, quæ ipsi tanquam Regi per contemptum in manum tradita fuit, multiplicatos ab arundine ictus, ut corona spinea eò profundiùs in ejus sacratissimum Caput infigeretur; genuflexiones irrisorias, & contemptibiles alapas, & sputa putrida injecta in ejus sacratissimam faciem, dicendo: *Ave Rex Judæorum*: Et tandem illam publicam à Pilato denudati, & ita inhumaniter vulnerati sui corporis ostentationem, cum hac voce: *Ecce Homo*: Et illas Judæorum perfidorum ingeminatas immisericordiæ voces: *Tolle, tolle, Crucifige eum.* Tibi gratias ago, te amo, ac ob hæc omnia in æternum benedico & revere-

vereor, petens meritis harum omnium pœnarum, meæ vanæ ſuperbiæ, propriæ æſtimationis, impatientiæ & hypocriſis indulgentiam: Et pariter gratiam, ut omnia vana hominum judicia flocci faciam, & pro augmento tui honoris, ac ſervitii, omnes humanos reſpectus vilifaciens vincam.

II. Pariter ô Domine, tibi offero pœnam & ignominiam, quam tuus Filius portans crucem ad montem Calvariæ, in comitatu duorum latronum, ſubiit, graves caſus, quos ob crucis gravitatem, & ſui afflictiſſimi ac dilacerati corporis, ſangvine evacuati, debilitatem paſſus eſt: tunſiones, ac ictus fuſtium, ac pedum ipſi inflictos, ut iter accelleraret: ipſius tolerantiam in evellendis barbæ ac ſui capitis crinibus, in impetuoſo ſui corporis caſu, & tractu ſuper terram; injurioſa & blasphema verba in ipſum conjecta:

lamen

lamentationes & lacrymas Matronarum, quæ ipsum sequebantur; immensam charitatem, humilitatem, patientiam & obedientiam, quibus pro tua gloria, & nostra salute, hæc omnia fortiter pertulit. Ob quæ infinitas tibi gr tiarum actiones ac benedictiones refero, à te petens tot adversorum atque pœnarum meritis, amorem Crucis & tolerantiam: & in tuo sancto servitio fervorem, & ut valeam mea, & proximi peccata amarè plangere.

DIE SABBATI.

Memento sacratissimi Lateris Domini nostri JESU Christi apertionis, & ejus pretiosissimi Corporis de Cruce depositionis, dicens.

O Pater æterne, ad tuum honorem & gloriam, & ad meam & proximi salutem, tibi oblatum cupio crudelem illum ictum lanceæ, qua Longinus sacratissimum Salva-

 toris

toris noſtri latus aperuit; ſangvinem & aquam, qui tam abundanter ex eo effluxerunt: magnum dolorem, quem tunc ejus doloroſa mater ſenſit: inhumana verba & opera in ſacratiſſimum ejus inanimatum corpus peracta. Ob quæ omnia tibi laudes & gratias infinitas refero, humiliter petens meritis hujus myſterii veniam peccatorum, quæ unquam corde commiſi, & gratiam, ut illud ab impuris & terreſtribus affectionibus purificetur, & tuis ſanctis inſpirationibus aperiatur.

II. Pariter ó Domine, tibi offero omnes horas, quibus ſanctiſſimum illud Corpus in Cruce pependit, & ejus de cruce depoſitionem. Tibi offero hoc corpus ſangvine evacuatum, ſiccum, dilaceratum, ſangvine conſperſum, & plagis confoſſum: illam ſacram & faciem lividam, oculos ſangvine & ſputis obnubilatos, caput ſpinis tranſver-
bera-

beratum, os illud ſacrum fellis amaritudine repletum. Ob quæ omnia tibi gratias ago, te amo & infinities benedico, à te petens hujus myſterii meritis, veniam omnium mearum ſenſualitatum, & hujus mei corporis delicatæ enutritionis, ut & perfectam caſtitatem, & contrarii vitii abominationem.

DIE DOMINICA.

Recordaberis Domini noſtri ſanctæ Reſurrectionis, & ejus admirabilis Aſcenſionis in cœlum, & deſcensûs Spiritus Sancti, dicens:

O Domine Deus meus, Unus in eſſentia, & Trinus in perſonis, infinitas tuæ divinæ gratias ago Majeſtati, ob glorioſam Reſurrectionem Domini JESU Chriſti, Redemptoris noſtri, & ob conſummatum opus redemptionis noſtræ, & conſequenter ob noſtram à crudeli ſervitute ac tyrannide diaboli ca, & è Lymbo ſanctorum Patrum

tam diu desideratam liberationem, & ob spem certam ac firmam nostræ recuperatæ salutis. Imò & tibi gratias summas ago, ob gaudium & lætitiam ineffabilem, qua spatio quadraginta dierum hic adhuc in terris conversatus, suis crebris apparitionibus sanctissimam suam Matrem, suos Apostolos, ac Discipulos, & Mariam Magdalenam cum aliis affecit. Ob hæc omnia te in infinitum laudo & benedico, supplicans per merita hujusce gloriosæ Resurrectionis, ut hanc gratiam obtinere merear, ut antiquo homini, ac omnibus ejus concupiscentiis emori valeam, & in novam vitam, virtuosam, solidam & sanctam resurgere.

11. O Pater æterne, tibi pariter gratias ago, ob gloriosam Salvatoris nostri Ascensionem in cœlum, ob honorem illum, quo ipsum affecisti, jubens, ut à dextris tuis sedeat

deat, ob judicialem illam potestatem super omnes creaturas in cœlo, in terra, ac in ipso inferno ipsi datam. Et denique ob Spiritus sancti in die Pentecostes super Apostolos missionem. Ob quæ omnia tibi gratias ago, & te in infinitum benedico, & meritis horum omnium hanc gratiam à te peto, ut totaliter terrenis rebus valedicere valeam, & toto corde spiritualibus ac cœlestibus adhærere, ut sic tui sancti Spiritus dignum habitaculum, cum omnibus suis donis & gratiis effici, & tandem unà tecum, cum eodem D. N. JESU Christo æternaliter regnare merear. Amen.

Quinque puncta ante vel post Missam utilissimè recitanda.

I.

DEtestor & abominor omnia & singula peccata mea, & omnium aliorum, commissa ab initio mundi, usque in hanc horam, &

deinceps usque ad finem mundi committenda, & si possem, impedirem per gratiam Dei, quam supplex invoco.

II.

Laudo & approbo omnia bona opera facta à principio mundi usque in hanc horam & deinceps usque in finem mundi facienda, & si possem, ea multiplicarem per gratiam Dei, quam supplex invoco.

III.

Intendo facere, dicere & cogitare omnia ad majorem Dei gloriam cum omnibus illis bonis intentionibus, quas Sancti unquam habuerunt, vel habebunt, vel habere possunt.

IV.

Ignosco & dimitto ex toto corde omnibus inimicis meis, omnibus mihi detrahentibus, omnibus quocunque modo mihi nocentibus, vel volentibus mihi mala.

V.

V.

Utinam omnes homines salvare possem, moriendo pro singulis, libenter id facerem per gratiam Dei; quam supplex invoco, & sine qua nihil possum.

Applicatio Missæ pro vivis.

UT fructuosè tum pro te, tum pro aliis sacrificium Missæ exsolvas, sequentem, aut similem Missæ applicationem devotè & cum affectu percurre.

Memento vivorum.

1. MEi, Parentum, Fratrum, Sororum, Consangvineorum, & omnium amicorum meorum.

2. Omnium quibus fui gravamen, scandalum, & occasio peccandi.

3. Omnium benefactorum meorum in spiritualibus & temporalibus.

4. Omnium Sacerdotum & Ministrorum Ecclesiæ Dei Catholicæ.

5. Omnium inimicorum meorum ad dimiſſionem.

6. Omnium Hæreticorum & Infidelium ad converſionem.

7. Omnium Agonizantium, & improvisè Morientium.

8. Omnium mihi commiſſorum in genere & in ſpeci , & omnium pro quibus vis, & ſcis me debere orare.

Applicatio Miſſæ pro Defunctis.
Memento Mortuorum.

1. ANimarum Parentum, Fratrum, Sororum, Conſangvineorum, & omnium Amicorum meorum.

2. Animarum, quæ occaſione mei purgantur in Purgatorio.

3. Animarum omnium benefactorum meorum in ſpiritualibus & temporalibus.

4. Animarum omnium Sacerdotum, & Miniſtrorum Eccleſiæ Dei Catholicæ.

5. Ani-

5. Animarum, quarum non est specialis memoria in terra.

6. Animarum omnium mihi commissarum in genere & in specie.

7. Animarum omnium improvisa morte corporibus exutarum.

8. Animarum omnium in Purgatorio existentium, & omnium pro quibus vis & scis me debere orare.

Postulationes generales ante Missam.

VIr quidam pius, ac variis occupationibus distractus, nocturno tempore aut certè summo manè, postulationes suas, ac gratiarum actiones Deo offerebat, omnia sua desideria ad certa quædam capita revocans, quod & tu similiter facies, petens.

1. Ut omnes cogitationes, verba, & opera Deo grata sint & accepta.

2. Gratias ages pro omnibus bene-

neficiis, quæ à puncto conceptionis tuæ accepisti, & in omnem æternitatem accepturus es.

3. Pro universis donis sacratissimæ Christi Humanitati, castissimæ Dei Parenti, omnibus Sanctis, tam Angelis, quàm hominibus concessis.

4. Pro vocatione ad Religionis vel Clericatûs statum, pro votis ad ejus honorem emissis, ac talentis, tam naturalibus, quàm supernaturalibus tibi communicatis.

5. Pro collata Sacerdotii sanctissimi ac sublimissimi dignitate. ad quam sustinendam petendum, ut ornamenta omnia ad hoc necessaria conferat, præcipuè fidem, humilitatem, timorem, reverentiam, charitatem, castitatem, ut tantum bonum sine fructu non transeat.

6. Orabis pro omnibus infidelibus, Judæis, Turcis, Mauris, Hæreticis, ac Schismaticis, ad fidem Catholicam convertendis.

7. Pro Ecclesia, ejusque capite summo Pontifice, pro singulis Ecclesiæ ordinibus ac religiosis cœtibus, ut omnes verbo, & exemplo instruant, & ad bonum promoveant.

8. Pro Regibus aliisque Magistratibus in officio constitutis, ut quietè, tranquillè atque ad Dei gloriam, comissam sibi rempublicam regant.

9. Pro omnibus spirituali ac corporali necessitudine conjunctis, imò pro captivis, vinctis, ægris, tentatatis, tribulatis, agonizantibus, aut in alia necessitate constitutis: quin & pro inimicis tuis, quibus Christi exemplo ignoscendum, & pro illis orandum.

10. Et pro animabus omnibus in purgatório detentis, ut Deus eis refrigerium, & sedem æternæ quietis indulgeat.

11. Tibi verò non tantùm peccatorum remissionem, & contritionem

onem tribuat, ſed etiam mortificationem inordinatorum affectuum, ſimulque fidem, ſpem, charitatem: Item virtutes cardinales, atque appetitûs tam concupiſcibilis quàm iraſcibilis compoſitionem, una cum donis Spiritûs ſancti, quibus ornatus, & ei in hac vita ad extremum usque perſeveranter gratus exiſtas, & beatifica viſione, quandocunque ei placuerit, tandem aliquando frui merearis.

Alia
PRAXIS BREVISSIMA
pro Sacerdotibus ante Miſſam.

Obſerva hic actus præcipuarum Virtutum.

ADORATIONIS ET GRATIARUM actionis.

O Dulciſſime Salvator, Chriſte JESU! qui ex nimia charitate nos miſerè perditos redemiſti pre-

pretio sangvinis tui: & in hujus amoris tui memoriam; nec non in pignus futuræ gloriæ, tam admirabili potentia, sapientia, & bonitate dedisti nobis in cibum & potum, ipsum corpus & sangvinem tuum: denique ad hæc divina mysteria me vilissimum peccatorem in numerum tuorum Servorum (Sacerdotum) tuâ ineffabili clementiâ vocare dignatus es.

Adoro te ex toto corde, & gratias tibi ago ex intimis visceribus animæ meæ, pro tam immensis beneficiis tuis, & affectus omnium Electorum mihi medullitùs opto, ut placere tibi possim in hoc opere, quod facturus sum.

CONTRITIONIS.

SEd heu me miserum! qui hactenus tam indignè in vocatione mea vixi; & toties, & tam graviter Deum meum offendi peccatis meis (præsertim his) sed nunc de

iis

iis doleo ex intimo corde meo, ob amorem tui ſuper omnia: & deinceps tibi ſoli ſervire, placere, & adhærere propono.

PURÆ INTENTIONIS.

PRoindeque nunc accedens ad menſam Convivii tui, ex omni affectu cordis mei Tibi (hoc ſacrificium Miſſæ) digniſſimam hoſtiam corporis & ſangvinis tui, quam tu ipſe ſemel pro nobis in ara crucis obtuliſti, offerre intendo ad laudem & gloriam æternæ Majeſtatis tuæ: in memoriam S. Incarnationis, Vitæ, Paſſionis ac Mortis tuæ. In gratiarum actionem pro omnibus donis & beneficiis toti cœtui Electorum, & mihi indigniſſimo peccatori hucusque præſtitis, vel unquam præſtandis. Pro ſalute quoque fidelium vivorum N. & ſolatio defunctorum N. Et utinam ex omni affectu, fervore & deſiderio amicorum tuorum, ſeu jam regnantium in cœlis, vel adhuc militantium in

terris, hoc tam grande tuæ pietatis opus peragere possem.

FIDEI.

CORde siquidem credo, mi JESU! & ore confiteor, quia Pater æternus, Deus seipso summè beatus, potens, perfectus, & nullius egens, secundùm infinitam misericordiam suam sic dilexit mundum, ut te Filium suum unigenitum nobis daret Salvatorem: Credo quoque, quòd tu ipse Patri æqualis per omnia, ex vi immensæ charitatis tuæ de sinu Patris descendisti in uterum Virginis, & propter nos homo factus es. Et quòd ex amore nostri hoc Sacramentum in ultima cœna instituens, verum corpus & sangvinem tuum, id est, teipsum nobis ad manducandum dedisti, & denique Patri tuo factus obediens usque ad mortem, teipsum pro nobis hostiam in ara crucis obtulisti.

S P E I.

IDeóque spero in te, magnaque fiduciâ venio ad te, ò Domine! qui nostri causa tam mira facere, & tam dira pati voluisti. Quid enim negabis, qui sic amasti, ut te ipsum dares?

AMORIS.

AMo te quoque, ò bone JESU! ex tota virtute cordis mei, & semper deinceps & in æternum amabo, si tu dederis.

Oblationis & Resignationis sui.

SEd quid retribuam tibi, Domine, pro tanto munere, & pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Ecce meipsum totum, corpus, animam, & omnia offero in beneplacitum benignissimæ voluntatis tuæ.

HUMILITATIS.

VErùm, quid habeo, quod non acceperim? Quid vilis creatura, vermis terræ, miser peccator, pauper, & servus inutilis præstare poterit

terit Deo Creatori, ac Domino suo? Tu ipse potiùs, ó Domine! utpote Advocatus & Mediator meus, dives in meritis & miserationibus, suscipe causam meam. Et ex thesauro immensæ charitatis tuæ, fer opem inopiæ meæ, & pretium sanguinis tui, omniumque meritorum tuorum repræsenta æterno Patri tuo, & hinc supple omnem defectum meum, præcipuè hujus meæ, heu! nimis modicæ & imperfectæ præparationis, quâ ad hæc sacrosancta mysteria venio, ut sic ei per te placeat obsequium indignissimæ servitutis meæ.

POSTULATIONES.

FAc etiam, ò bone JESU! per omnes miserationes tuas, ut hoc tremendum mysterium, & admirabile donū charitatis tuæ, debita semper fide, reverentia & gratitudine prosequar, idque puro & ardenti corde nunc & semper recipiam. Sta-

tum hunc quoque meum N. ad quem me singulari gratia vocare dignatus es, charitate castitate, humilitate, mansvetudine, patientia, sobrietate &c. moribusque tibi placitis, & fideli servo tuo (sacerdote) dignis, excolere studeam. Idque ut servitus mea magis tibi placeat, ad majorem gloriam tuam, Ecclesiæ utilitatem, & propriam proximique salutem.

Abnegationis sui & unionis cum Deo.

UNde tandem supplex rogo: ut per virtutem corporis & sangvinis tui, abstrahas cor meum efficaciter ab omnibus noxiis affectibus N. qui gustum & fructum hujus Sacramenti impediunt, & intimè tibi unias, & incorpores, ut gustem quàm svavis sis Domine, & unus tecum efficiar spiritus, ut tu in me & ego in te maneam, adeoque nihil sit, quod me unquam sepa-

separare valeat à te. Nam tibi adhærere mihi bonum est &c. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea in æternum!

ORATIO S. AUGUSTINI,

Sive Brevis Commemoratio Passionis Christi pro lucrandis maximis indulgentiis.

DEus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Judæis reprobari, à Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri, à falsis testibus accusari, flagellis, & opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, Cruci clavis affigi, in Cruce levari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, lancea vulnerari. Tu Domine per

has sanctissimas pœnas, quas ego indignus recolo, & per S. Crucem, & Mortem tuam libera me à pœnis inferni, & perducere digneris, quò perduxisti Latronem tecum crucifixum. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum.

FINITIS HIS, EUNDO AD *Altare dices Psalmum.* Miserere mei Deus: *pro remissione tuorum peccatorum.*

OBSERVANDA TEMPORE Missæ.

1. *Stans in medio Altaris, offeras denuò hoc Sacrificium, dicens.*

O Pater æterne, Deus infinitæ Bonitatis! tuâ misericordiâ fretus offero tibi hoc SS. Sacrificium, quod modò maxima, qua possum devotione, & charitate peragam, in unione illius infiniti amoris, quo Unigenitus tuus se ipsum in ara Crucis obtulit.

2. *In Offertorio offerendo Hostiam, & Calicem, offer tuum cor & dic mentaliter.*

Piissime Pater offero tibi Cor meum, illúdque huic S. Oblationi conjungo ea intentione, ut omnes illæ Orationes, ac Benedictiones, quæ super hancHostiam, &Calicem fient, etiam super cor meum pronuntientur, atque per virtutem istius Consecrationis, qua hæc in Filii tui Corpus & Sangvinem convertentur, id ipsum in tui amorem efficaciter convertatur.

3. *Quid in Memento tam Vivorum quàm Mortuorum agere debeas, vide suprà* fol. 95. *sed memento, ut commendes illos dulcissimo Cordi JESU.*

4. *Ante Consecrationem tam Corporis, quàm Sangvinis Christi, dic mentaliter.*

O Domine JESU Christe, illa humilitate, charitate, & intentione,

quam tu habuisti, & quam tua S. Ecclesia in hac actione habet, intendo proferre hæc SS. & potentissima verba.

Hoc &c.

5. *Ad adorationem utramque Corporis & Sangvinis, sicut ad quaslibet genuflexiones post Consecrationem.*

Adoro te mi JESU! illa adoratione & cultu latriæ, quo omnes Sancti tui te unquam adorârunt.

6. *Elevans Hostiam & Calicem dic etiam corde.*

O Pater æterne! en Corpus & Sangvinem dilectissimi Filii tui pro nobis in ara Crucis immolati, offero tibi illum ipsum summa cum reverentia, & amore, eóque affectu; quo ille se ipsum tibi obtulit, & unà cum eo offero tibi me ipsum ad tuam gloriam in holocaustum perpetuum.

7. *Quando S. Hostiam in manus recipis.*

Utinam haberem modò puritatem illam, quâ B. V. Mater tua te in tua, ò mi JESU! infantiâ tractavit, illam ipsam in supplementum meæ offero tibi maximo cum affectu & amore.

8. *Proximus Communioni præcipuarum virtutum actus elice, quæ fiet omnino brevis, ex ipso usu; dic ergo corde.*

Credo in te, ò Deus, Prima Veritas? propter infinitam Authoritatem tuam. 2. Adoro te, propter increatam Excellentiam tuam. 3. Spero in te propter immensam Misericordiam tuam. 4. Amo te propter æternam Bonitatem tuam. 5. Confundor, quòd te bono infinito non contentus exigua ac apparentia bona quæsierim. 6. Doleo de peccatis meis propter te, quem super omnia amo, & paratus tibi in hac vita satisfacere, propono omnē emendationem. 7. Ago tibi gra-

tias propter beneficia mihi collata. 8. Offero tibi me ipſum, & omnia mea. 9. Reſigno me meaque omnia SS. Voluntati tuæ. 10. (*ſi es Religioſus*) renovo omnia Vota mea. 11. Parco omnibus, qui me offenderunt, propter amorem tuum. 12. Rogo te per SS. Paſſionem tuam, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo, & perduc eam omnibus Sacramentis munitam in Vitam æternam. Amen.

VARIA EXERCITIA DEVOTA & preces poſt Miſſam.

Antiphona.

TRium puerorum cantemus hymnum: quem cantabant ſancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Quæ Antiphona in Duplicibus tantùm duplicatur, & tempore Paſchali additur: Alleluja. *Can-*

Canticum trium Puerorum. Dan. 3.

BEnedicite omnia opera Domini Domino: laudate; & superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol & luna Domino: benedicite stellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis & æstus Domino: benedicite frigus & æstus Domino.

Benedicite rores & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies, & nives Domino: benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura, & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet, & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes & colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria, & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia, quæ moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israël Dominum: laudet & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus & animæ justo-

storum Domino: benedicite sancti & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu: laudemus & superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli, & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.

Psalmus 150.

LAudate Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio, & cithara.

Laudate eum in tympano, & choro laudate eum in chordis, & organo.

Laudate eum in cymbalis benesonan-

ſonantibus: laudate eum in cymbalis jubiliationis: omnis ſpiritus laudet Dominum. Gloria Patri.

Deinde repetitur Antiphona.

Trium puerorum cantemus hymnum quem cantabant ſancti in camino ignis benedicentes Dominum.

Tempore Paſchali. Alleluja.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationē.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.
℟. Et ſancti tui benedicant tibi.
℣. Exultabunt ſancti in gloria.
℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis.
℣. Non nobis Domine, non nobis.
℟. Sed nomini tuo da gloriam.
℣. Domine exaudi orationem meā.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Ore-

Oremus.

DEus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius: ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

DA nobis, quæsumus Domine, vitiorum nostrorum flammas extingvere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OBLATIO FACIENDA POST SS. Missæ Sacrificium Patri æterno.

1. *Ad Ipsius Honorem & Gloriam.*

SAnctissime Pater, en ego indignissima creatura tua suscepi dilectissimum Filium tuum, eumque tanquam rem meam, mihique conjun-

junctam, in pectore meo adhuc contineo: illum ergo in modum justi Simeonis in ulnas meas suscipiens, tali affectu, & intentione, quali semetipsum tibi obtulit jacens in præsepio, & pendens in Cruce, offero Majestati tuæ ad supremam laudem, & gloriam tuam, in recognitionem tui supremi dominii, in gratiarum actionem omnium beneficiorum ulli unquam creaturæ concessorum, & in plenam abolitionem omnis injuriæ ab ullo unquam tibi irrogatæ.

2. *In Memoriam & cultum Christi B. V. & omnium SS.*

OFfero illum quoque ad supremam laudem & gloriam ejusdem Domini nostri JESU Christi, in cultum & memoriam SS. Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis, omniumque mysteriorum vitæ & mortis ejus; item in cultum, & augmentum

tum gaudii, gloriæ, & beatitudinis SS. & Immaculatæ Virginis Matris ejus, omniumque Angelorum, & Sanctorum, maximè illorum, quorum hodie memoriam agimus, & Patronorum meorum.

3. *Pro ipso Celebrante.*

ET quia, ô Domine suscipiendo Filium tuum, factus sum particeps omnium ipsius meritorum, his innixus audeo te rogare pro SS. gratiâ tua, qua perficere possim SS. ejus voluntatem, ad hoc enim ipse me tanti Sacramenti consortem fecit, ut deinceps tibi vivam, mihi moriar; ut sim humilis, patiens, charitate repletus, castus, & perfectus; da ergo mihi sanctissime Pater, ut adimpleam hanc SS. Filii tui voluntatem, exorna me his sanctis virtutibus Fide, Spe, Charitate, Humilitate, Patientia, Castitate &c. omnibusque gratiis, quas scis mihi esse necessarias, largire purissimam illumina-

minationem intellectus, ad cognoscendum beneplacitum tuum, & faciendam voluntatem tuam, ut in omnibus & per omnia tibi placeam, tibi fideliter serviam, teque sincerè ac constanter amem, & diligam.

4. *Pro tota Ecclesia.*

SAnctifica ô piissime Pater, Ecclesiam tuam, aufer ab ea omnia scandala & schismata, ut fiat unum ovile, & unus Pastor; effunde misericordiam tuam in gentes, quæ te non noverunt, & illumina corda illarum, ut te cognoscant, & ament; dissipa consilia impiorum, ne regno tuo officiant, & propagationi gloriæ tuæ; da summo Pontifici, Prælatis, Ordinibus Ecclesiasticis, ac omnibus Religiosis tuum amorem, & ut suo officio ritè fungantur: Imperatori, Regibus, Principibus, cunctisque Magistratibus sapientiam, qua justitiam fideliter administrent, pacemque sequantur, ac populo tuo

tuam Benedictionem; tribue agonizantibus veram contritionem, tuumque amorem, peccatoribus veniam ac veram emendationem, inimicis meis tuam charitatem, ac dulcedinem, amicis, benefactoribus, consangvineis tuam dilectionem, huic Congregationi bona spiritualia & temporalia, nosque & omnia nostra dirige, ut cultus tuus hic semper vigeat, & perseveret, animabus in Purgatorio detentis, illis maximè, quæ suffragiis nostris indigent, vel quibus sum obligatus, dona requiem sempiternam, ac beatam tui fruitionem.

Conclusio longè efficacissima post Missam.

Ex S. Gert. l. 5. c. ult.

HOc igitur SS. Sacramentum, ô Christe JESU, quod ex intimis tui amorosi cordis produxit efficax dulcor tuæ investigabilis divinitatis

quod

quódque mihi tam benignè modò communicasti, offero tibi ex affectu totius universitatis, in unione illius excellentissimæ charitatis, qua tu altissimi Patris Unigenitus omnem influxum Divinitatis, qui in tuam deificatam Humanitatem descendit, cum plena gratitudine, offerens refudisti in abyssum originis tuæ, Orans cum desiderio & affectu omnium creaturarum, ut ipsum tibi intrahas per affectum svavissimi spiritus tui in laudem æternam, immensam & incommutabilem, quam inscrutabilis sapientia tua altissimè cognoscit, superexcellentem Dei Patris omnipotentiam condecere, ac inæstimabiliter svavifluam Spiritus sancti benevolentiam oblectare. Necnon & in plenè sufficientem gratiarum actionem omnis boni & gratiæ, quam per idipsum operatus es, & in æternum operaberis in corde & anima ipsum recipientis. Item
& in

& in dignam emendationem omnium, in quibus negliger t us studium, præparatio & devotio mea omisit idipsum dignè suscipere. Et demum in summam gratiarum actionem, quòd incomprehensibilis bonitas tua, me extremæ vilitatis vermiculum admittere dignata est ad regale convivium cœlestium deliciarum tuarum. Pro quo, cùm in nullo parvitas mea tibi respondere possit, offero tibi cor tuum dulcissimum, ac unicè dignissimum in ea dignitate, qua plenum est divina gratitudine ac omnimodæ beatitudinis perfectione superexcellens in perpetuum, Amen,

ORATIONES ALIÆ POST Communionem.

GRatias ago tibi benignissime Domine JESU Christe, qui me vilissimum peccatorem admittere dignatus es ad splendidum, vivificumque sacræ mensæ Convivium. O

bone

bone JESU dilecte mi, chariſſime, ſponſe, unica ſpes, & vita animæ meæ! O dulcedo cordis mei! O æternum bonum meum, melliflue JESU! uni me tibi intimè ad gloriam nominis tui. Heu mihi Domine JESU, quia nimis indignè complevi hoc ſanctum Sacrificium! Miſerere mei, ignoſce mihi: ego, quod egi, commendo mellifluo cordi tuo emendandum, ad æternam gloriam tuam, & ad ſalutem omnium. Reſponde, ſatisfac, ſupple pro me pleniſſimè. Amen.

ANima Chriſti ſanctifica me.
Corpus Chriſti ſalva me,
Sangvis Chriſti inebria me,
Aqua lateris Chriſti lava me,
Paſſio Chriſti conforta me,
O bone JESU exaudi me,
Intra vulnera tua abſconde me,
Et ne permittas me ſeparari à te,
Ab hoſte maligno defende me,
In hora mortis meæ voca me,

Et

Et jube me venire ad te;
Ut cum Sanctis tuis laudem te,
In sæcula sæculorum, Amen.

Pia suspiria post Missam.

INveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. Te, mi JESU, amplector, & amoris mei gaudium obtineo. Te cordis mei thesaurum comprehendo, in quo omnia possideo. Sentiat, obsecro, mens mea virtutem præsentiæ tuæ: gustet, quàm svavis sis Domine, ut amore tui capta nil extra te quærat, nil diligat, nisi propter te. Tu es Rex meus, ne obliviscaris inopiæ & tribulationis meæ. Tu es Judex meus, parce peccatis meis, & miserere mei. Tu es medicus meus, sana omnes infirmitates meas. Tu es sponsus animæ meæ, sponsa te mihi in sempiternum. Tu es Dux & defensor meus, pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Tu victima pro me factus es,

& ego tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Tu Redemptor meus es, redime animam de manu inferi, & ſalva me. Tu es Deus meus & omnia. Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

S. P. IGNATII ORATIO.

Suſcipe Domine univerſam meam libertatem, &c.

1. O DEUS! ego amo te,
Nam prior tu amaſti me,
En libertate privo me,
Ut ſponte vinctus ſequar te.

2. Nil ſuggerat memoria,
Niſi de tua gloria:
Nil intellectus ſapiat,
Præterquam ut te capiat.

3. Proteſtor nihil velle me,
Niſi quod ſciam velle te:
Quæ dono tuo mea ſunt,
Hæc dono meo tua ſunt,

4. A te accepi; recipe,

Quid iis velis, præcipe:
Guberna, sicut scis & vis,
Nam scio, quòd amator sis
5. Amore solo dona me,
Ut ego quoque amem te,
Et vigil, & per somnia,
Hæc cando, dabis omnia.

Suspirium S. Francisci Xaverii Indiarum Apostoli.

O DEUS! ego amo te;
Nec amo te, ut salves me,
Aut, quia non amantes te,
Æterno punis igne.
Tu, tu mi Jesu, totum me
Amplexus es in cruce:
Tulisti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores, & angores,
Ac mortem, & hæc propter me,
Ac pro me peccatore;
Cur igitur non amem te,
O JESU amantissime?
Non ut in cœlo salves me,

Aut ne æternùm damnes me.
Nec præmii ullius ſpe,
Sed ſicut tu amaſti me,
Sic amo, & amabo te,
Solùm quia Rex meus es.
Et ſolùm quia Deus es.

Alia.

O JESU mi dilecte,
Amabo te perfectè,
Cum me amoris telo
Transfixeris è cœlo.
Transfige, ah! transfige me,
O JESU dilectiſſime.

Item alia.

1. O! mea mihi viſcera,
Vos rumpite amores,
Miſcebo tanquam munera
Amoribus dolores.
2. O Deus! Deus! Deus!
Tu totus, totus meus,
Sim ego totus tuus,
Et nunquam, nunquam meus,
3. Audi JESU, quid offeram,
Cum de meo nihil habeam:

Tota

Tota mea oblatio
Sit tua sancta Passio.

Petitiones devotæ S. Augustini.

DOmine JESU noverim me, noverim te,
Nec aliquid cupiam nisi te,
Ut odiam me, & amem te,
Quidquid agam, sit propter te;
Humiliem me, exaltem te;
Nihil cogitem nisi te;
Mortificem me, & vivam in te;
Quæcunque eveniant, accipiam à te;
Persequar me, sequar te;
Semper optem sequi te:
Fugiam me, confugiam ad te;
Dignus sim defendi à te;
Timeam mihi, timeam te;
Simque de electis à te;
Diffidam mihi, fidam in te;
Obedire velim propter te;
In nullo afficiar, nisi in te;
Aspice me, ut diligam te;

Voca me, ut videam te,
Et in æternum potiar te.

Oratio.

ABſorbeat, quæſo Domine JESU Chriſte, mentem meam ignita & melliflua vis amoris tui ab omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es in ligno crucis mori. Amen.

Alii Affectus cordiales.

QUàm pulcher esDilecte mi! quàm bonus es, ò unicæ deliciæ meæ! JESU Chriſte! Te diligo, O vita mea! O cor meum! O gaudium meum! O ſvavitas ſumma! O ſolum & omne bonum! O Deus meus! ad te ſuſpiro, clamo, anhelo, te ſtringo intimis medullis, & totis præcordiorum amplexibus, quia tu es Deus, ipſiſſima bonitas, amor æternus, ſapientia inexhauſta, potentia infinita, perfectio abſoluta. Et quid tandem me poterit divellere ab amo-

re tuo? an voluptas brevis? opes caducæ? honores falsi? an umbræ umbrarum? nugæ nugarum? istæ & illæ non facient. O Jesu bone! non facient; da tu gratiam, O amor meus! O Deus meus!

Oratio post Missam ad B. V.

O MARIA Virgo, & Mater sanctissima! ecce suscepi dilectissimum Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactâsti, atque svavissimis amplexibus strinxisti: ecce cujus aspectu lætabaris, omnibus deliciis replebaris, illum ipsum tibi humiliter, & amanter repræsento, & offero tuis brachiis constringendum, tuo corde amandum, sanctissimæque Trinitati in supremum latriæ cultum, pro tui ipsius honore, & gloria, & pro meis, totiusque mundi necessitatibus offerendum; Rogo ergo te piissima Mater! impetra mihi veniam omnium peccatorum meorum, uberemque

gratiam ipſi deinceps fideliùs ſerviendi, ac denique gratiam finalem, ut eum tecum laudare poſſim per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia brevior ad B.V.

ANima Virginis illumina me;
Corpus Virginis cuſtodi me;
Lac Virginis paſce me;
Tranſitus Virginis confirma me;
O MARIA Mater gratiæ, intercede pro me;
Tibi in famulum ſuſcipe me;
Fac me ſemper confidere in te;
A malis omnibus protege me;
In hora mortis meæ adjuva me;
Et iter mihi para tutum ad te,
Ut cum Electis omnibus glorificem te in ſæcula ſæculorum.

Ad alios Sanctos.

O Beati Spiritus Angelici, qui huic tremendo Myſterio cum ſumma reverentia & amore ſemper adſtatis; & vos ò Sancti Dei omnes, ecce Dominum veſtrum! quem vos in

in hoc mundo toto corde dilexistis; quemque vos o Angeli SS. in terra natum adorastis, eumdem ego in SS. Sacramento à me susceptum vobis omnibus & singulis offero amandum, necnon ad majorem Dei gloriam, & in augmentum vestri gaudii SS. Trinitati præsentandum, & pro meis, totiusque Ecclesiæ necessitatibus offerendum exhibeo, rogans, ut precibus vestris veniam nobis delictorum nostrorum impetretis, robur in tentationibus, in afflictionibus subsidium, in vita nostra gratiam, ac sanctam in morte perseverantiam, ut fine bono consummati Deum deorum videamus, laudemus, & amemus vobiscum per omnia sæculorum sæcula. Amē.

GRATIARUM ACTIO POST Missam ex S. Francisco Salesio Episcopo Genevensi,

AD minus per quadrantem horæ te ipsum recolligens, dic sequentes Orationes.

Oratio præcipuos virtutum actus continens.

DOmine JESU Chriſte, unice Salvator meus, ex toto corde te adoro, & ob tantam mihi conceſſam gratiam, infinitas gratias tibi refero. Et qui omni amore dignus es, te ſuper omnia diligo, doleoque, quòd te hactenus non amaverim, nec in præſenti, in quantum mereris, te amem. Et in hujus defectum, tibi offero omnes adorationes, gratiarum actiones, affectus & actus amoris, reverentiæ, & gratitudinis, quos unquam tua ſanctiſſima Mater, omnes tui Sancti, ac fideles tui famuli in Curia illa cœleſti, ac in hac ſancta Eccleſia ſponſa tua elicuerunt, ac nunc de facto eliciunt; Doleo ex corde, ò Domine Jeſu, & de nulla re magis dolebo, quàm quód te toties, & multiformiter offenderim, & mihi ſummè diſplicet, quód illum dolorem in me non

non sentiam, qualem summa tua bonitas & majestas requirit. Quare humillimè per merita sanctissimæ tuæ Passionis veniam peto, offerens meipsum cum illa tua benedicta passione, & omnia quæ hactenus toto vitæ meæ cursu in remissionem peccatorum meorum, aut facturus, aut passurus ero: & ut illa confidentia, quam concepi, quòd mea peccata condonaturus sis, in tua infinita bonitate, & clementia fundata est, sic per illam te deprecor, ut mihi gratiam concedas abundantem me emendandi, & in tuo servitio usque in finem perseverandi.

MYSTERIA VITÆ ET PASSIONIS D. N. JESU Christi consideranda post Missam.

DIE LUNÆ.

REcordaberis Nativitatis & Circumcisionis Domini eodem modo, quo ante Missam; prout superiùs dictum est.

Descen-

Descendens ad tuum nihilum, & mentem ad Patrem æternum elevans, corde sincerè dices :

O Pater æterne, ad tuum honorem, & gloriam, & pro salute mea & totius mundi, tibi offero mysterium Nativitatis nostri Redemptoris, exactam illam obedientiam præstitam edicto Cæsaris Augusti. Et omnia, quæ passi sunt beata Virgo, ac sanctus Josephus in illo itinere à Nazareth usque in Bethleem laborioso: Utriusque cordis mœrorem, eò quòd nullus eos recipere voluerit; speluncam horribilem, ad quam divertere coacti, & omnium rerum penuriam passi sunt; durum fœnum & præsepe, in quo repositus est puerulus JESUS, frigus, quod tunc sustinuit, lacrymas, quas fudit, vagitus ipsius, ac nuditatem. Pro his omnibus tibi gratias ago, amo te, ac in æternum benedico, petens per merita hujus my-

mysterii, remissionem, omnis meæ inobedientiæ tuis divinis mandatis & inspirationibus, ut & omnium mearum sensualitatum, superfluitatum ac cupiditatum, & gratiam, inposterum cum vera humilitate, obedientia, & crucis amore, ac perfecta in tuum beneplacitum resignatione tibi serviendi.

II. Pariter ò Domine, tibi offero dolorosam Filii tui innocentis Circumcisionem, profundissimam ejus humilitatem, quia se legi peccati subdidit; dolores acutos, quos pertulit, sacratissimam ejus incisam carnem, ac pretiosissimum effusum Sangvinem, lacrymas ab ejus tenellulis oculis, ut & sanctissimæ ejus Matris ac S. Joseph erumpentes. Pro his omnibus tibi gratias ago, te amo ac benedico in æternum, obnixè petens hujus mysterii meritis veniam meæ superbiæ, & omnium mearum spiritus & corporis

ris fœditatum, & gratiam, ut in-
posterum magis humilis, purus &
castus vivam, & opposita vitia dete-
ster.

DIE MARTIS.

MEmor eris amissionis parvuli JESU in templo, & subjectionis erga suos parentes usque ad annum trigesimum, dicens:

O Pater æterne, tibi offero ad tuum honorem & gloriam, & pro salute mea & totius mundi, dolorosam Domini nostri spatio trium dierum amissionem, dolorem anxium sanctissimæ ejus Matris, ac Patris ejus nutritii S. Joseph. amaras lacrymas, quas tunc effuderunt, sollicitam eorum ubique inquisitionem, transactas noctes in suspiriis & gemitibus: Ipsius zelum ardentissimum tui honoris & gloriæ, intuitu cujus per tres dies inter Doctores remansit in templo, necessitates corporis, quas tunc temporis pas-

sus

sus est, mendicando, quæ ad victum ipsi erant necessaria, & ad requiem nudam humum, impræparatum stratum. Ob hæc tibi gratias ago, amo ac benedico te, petens meritis hujus mysterii veniam, quòd tam multoties meis peccatis miserè te amiserim, simulque gratiam te quærendi, & amandi, tibi serviendi toto corde, & usque in finem perseverandi.

II. Pariter ô Domine Deus æterne, tibi offero illam humillimam obedientiam ac submissionem, quam suæ sanctissimæ Matri, ac S. Josepho Patri putativo præstitit: corporis lassitudines, quas in labore quotidiano cum sancto Josepho, pro acquirendis vitæ necessariis, passus est. Ob quæ omnia tibi gratias ago, te amo, ac in infinitum benedico, petens hujus mysterii meritis, mearum inobedientiarum, ac irreverentiarum erga meos Parentes, ac

Supe-

Superiores veniam, & gratiam, me erga omnes amore tui humiliandi, ac ſubjiciendi.

DIE MERCURII.

IN commemorationem inſtitutionis ſanctiſſimi Sacramenti Altaris, & doloroſæ agoniæ in monte Oliveti, dices:

O Pater æterne, tibi offero ad tuum honorem & gloriam, pro mea & totius mundi ſalute, ſanctiſſimi Sacramenti Altaris inſtitutionem, à Chriſto Domino tam ingenti amore in ultima Cœna factã, finem illum ſublimem, quem in hac actione ſibi propoſuit: Actum illum profundiſſimæ humilitatis, quem in lavando pedes ſuorum Diſcipulorum exercuit: dolorem illum indicibilem, quem ob traditoris peccatum & perditionem ſenſit. Ob hæc omnia tibi gratias ago, te amo ac benedico in infinitum, petens per merita hujus myſterii veni-

veniam, quòd toties cum parva præparatione, devotione & reverentia ad hoc divinum Sacramentum accesserim, & hoc sacræ Missæ Sacrificium tuæ divinæ Majestati obtulerim, petens hanc singularem gratiam, ut imposterum devotus & famelicus hunc cœlestem Cibum ad salutem animæ meæ recipere valeam.

II. Pariter ò Pater æterne, tibi offero ipsius iter ad montem Oliveti, tristitiam & mœrorem cordis, quem passus fuit, eumque suis Discipulis manifestavit: Orationem, quam tertiò prostratus in terram tibi obtulit: Agoniam, quam ad sudorem usque sangvineum sustinuit: Perfectam resignationem in tuum divinum & æternum beneplacitum: Animi promptitudinem, qua suis inimicis obviam factus, in eorum se manus ultró tradidit. Ob hæc tibi gratias ago, te amo, ac in in-

in infinitum benedico, petens humiliter meritis hujus myſterii, in omnibus meis adverſitatibus & tribulationibus magnam animi fortitudinem, ac conſtantiam, & ad ſuperandas omnes tentationes, quæ in toto vitæ meæ decurſu, maximè verò in articulo mortis ſeſe offerent, inſuper & perfectam mei ipſius in omnibus in tuum divinum beneplacitum reſignationem.

DIE JOVIS.

Recordaberis irriſionis, & contemptus in Chriſtum Dominum ab Herode illati, dum ipſum veſte alba tanquam ſtultum curavit indui: Inſuper, & doloroſæ flagellationis, quam ligatus ad columnam ſuſtinuit, dicens:

O Pater æterne, tibi offero ad tuum honorem & gloriam, pro ſalute mea & totius mundi, indigniſſimum illum actum Herodis, quo Filium tuum, in contemptum veſte

ste albatanquam stultum curavit indui. Tibi offero indignissimos pariter actus Judæorum, à quibus per plateas civitatis Jerusalem modò huc modò illuc tractus, sordibus, ac aliis immunditiis in ipsum projectis; fustibus ac pedum tunsionibus. & opprobriis saturatus, stultus ac insanus nominatus, ac sæpiùs humi prostratus fuit. Ob hæc omnia, quæ amore mei pati dignatus est, tibi summas gratias ago, amo ac benedico te in æternum, petens veniam omnium mearum stultitiarum, & gratiam, ut horrori mihi sit stulta hujus mundi sapientia, & ut ex toto corde tuam infinitam sapientiam diligam, ita ut inposterum te solum, & quæ tua sunt, solummodò amem, & gustem.

II. Pariter tibi offero ô æterne Pater, crudelissimam illam flagellationem, quam columnæ alligatus sustinuit, tot millenos ictus, quibus

bus caro ejus virginea contuſa & dilacerata fuit, Sangvinem illum pretioſiſſimum, qui ex toto ejus corpore ſuperabundantiſſimè ſuper terram defluxit. Indicibilem illum dolorem, & tormentum incredibile, quod tunc ſuſtinuit; Verecundiam illam maximam, quam ſuſtinuit ob nuditatem ſui Virginei corporis in conſpectu tot rapidorum luporum. Horrendas illas blasphemias, quas in ipſum præſentem conjecerunt, inhumanam, & plus quàm barbaricam crudelitatem ſuorum inimicorum, patientiſſimè ab ipſo toleratam. Ob hæc omnia tibi ſummas gratias ago, te amo, revereor ac benedico in æternum, petens meritis hujus myſterii veniam omnium mearum immunditiarum, ac ſenſualitatum vitæ meæ præteritæ, & gratiam, ut inpoſterum in tua divina præſentia ſemper purus, & ſine macula appaream,

meam

meam carnem spiritui, & tuæ divinæ legi, perfectissimè subjiciens.

DIE VENERIS.

IN memoriam revocabis pœnalem illam crucifixionem, & mortem Domini nostri dicens:

O Pater æterne, tibi offero ad tuum honorem & gloriam, pro mea & totius mundi salute, ignominiosam & sanctissimam Filii tui innocentissimi in monte Calvariæ crucifixionem, renovatum suarum plagarũ dolorem in illa impetuosa & crudeli suarum sacrarũ vestium spoliatione. Sacratissimas ejus manus & pedes magnis clavis transfixos, sui sacratissimi Corporis in altum elevationem summè pœnibilem. Illam abyssum dolorum, quos pendens in cruce sustinuit, sangvinis rivulos ex ejus sacratissimis plagis in terram defluentes. Dolorem summum, quo suæ sanctissimæ Virginis Matris cor transfixum, cùm facta ad pedem Crucis,

hujus funesti & crudelis tormenti spectatrix fuit. Ob hæc omnia infinitas tibi gratias ago, te amo ac benedico in æternum, hanc gratiam particularem petens, ut defacto ac totaliter, mei sensus ac membra, mundo & carni per veram abnegationem & voluntariam valedictionem, omnibus eorum vanitatibus crucifigantur.

II. Pariter ô Pater æterne, tibi offero illam charitatis excessivæ orationem, quam pro suis crucifigentibus tibi præsentavit. Illam summam desolationem, dum se omni & humano, & divino auxilio derelictum vidit. Sitim illam vehementem, quam tunc est passus. Fel & acetum, quibus potatus fuit. Illam piam recommendationem sanctissimæ Matris suæ sancto Joanni, & vice versa S. Joannis suæ Matri. Liberalem illam promissionem æternæ salutis bono latroni factam. Et tandem

dem sui afflictissimi spiritus in tuas manus recommendationem, qua opus nostræ redemptionis consummavit. Ob quæ omnia in infinitum tibi gratias ago, te amo ac benedico humminillimè supplicans per merita passionis & amarissimæ mortis tui Filii, ut omnia mea peccata mihi indulgeas, ac gratiam hanc concedas, ut amore tui omnes mihi injurias factas condonem, & in tua sancta gratia vivam & moriar.

DIE SABBATI.

Sepulturæ Domini nostri JESU Christi recordaberis, & lamentationis Matronarum, dicens:

O Pater æterne, tibi offero ad tuum honorem & gloriam, & pro mea & totius mundi sulute, sanctissimi Corporis Domini nostri dolorosas exequias, sepulchrum, in quo requievit, myrrham & aloën, quibus unctum fuit. Lamentationes querelas & lacrymas, ac mœrore

ſuæ ſanctiſſimæ Matris, ac aliarum Matronarum. Ob hæc omnia tibi gratias ago, te amo ac benedico in æternum, petens meritis hujus myſterii gratiam, ut veteri homini totaliter, ejusque vitiis ac concupiſcentiis emoriar, illumque in morte Domini mei Salvatoris in æternum ſepeliam.

DIE DOMINICA.

ASſumptionis glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, ejusque Coronationis in cœlis memor eris, dicens:

Tibi ô ſanctiſſima Trinitas, gratias ago, ob immaculatiſſimæ Virginis Mariæ in cœlum glorioſam Aſſumptionem, teque in infinitum benedico, ob honorem & gloriam ipſi collatam, quòd ſuper omnes choros Angelorum elevat, ad dexteram ſui Filii Regina ac Imperatrix cœli & terræ coronata reſideat. Tibi ſupplico ob ejus merita, ut illam amare, & ejus ſanctiſſimas virtutes

tutes, maximè ejus profundam humilitatem, & immaculatam puritatem imitari valeam, ut eam pro possibili in vita hac imitans, in altera vita ejus præsentia æternaliter perfrui merear. Amen.

Cùm quilibet sacerdos sit vel Religiosus, vel sacræ cuidam Confraternitati SS. Rosarii, vel Carmeli &c. adscriptus, meminerit, ut post sacrum lucretur Indulgentias Stationum, quæ sunt maximæ, ac innumerabiles pro singulis diebus, proindeque ad eas tam pro se, quàm pro fidelibus defunctis lucrandas recitare poterit pro necessitatibus S. Ecclesiæ, hæresum extirpatione, ac Principum Christianorum Concordia, 5. Pater, & Ave, *cum totidem* Gloria Patri: *addendo unum aliud* Pater, & Ave cum Gloria. *Pro salute summi Pontificis.*

OCTO HOMAGIA DEO
præstanda.

Homagium I. Summæ & supremæ Excellentiæ Domino Vitæ & Mortis.

Actus adorationis.

AGnosco te, ô mi Deus! ut supremum Dominum meum, primum Principium, & ultimum Finē, Auctorem naturæ, gratiæ, & gloriæ & profundissima cum humilitate me tibi submitto, teque adoro Dominum vitæ & mortis, vitam quoque meam tibi sponte sacrifico in unione sacrificii Filii tui Domini nostri JESU Christi in cruce peracti, & adorationis, quâ Humanitas ejusdem Domini nostri JESU Christi, B. V. omnesque Sancti te adorârunt in terra, & te modò adorant, & æternùm adorabunt in cœlo. Omnis terra adoret te, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo Domine.

2. Primæ Veritati.

Actus Fidei.

O Mi Deus! ſuprema & eſſentialis Veritas! credo te unum in Eſſentia, & trinum in Perſonis eſſe, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum; credo, teneo, ac profiteor fidem illam, quam Chriſtus docuit, quam prædicârunt Apoſtoli, quamque S. Romana Eccleſia docet, ac profitetur, & ſingulos Catholicæ Fidei Articulos paratus ſum ſangvine meo ſubſignare, & morte mea confirmare, quippe teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.

3. Omnipotentiæ & Miſericordiæ Dei.

Actus Spei.

OMnipotens, & miſericors Deus! ſpero per ſangvinem, & merita JESU Chriſti Domini noſtri ab infinita Bonitate, ac Miſericordia tua remiſſionem omnium peccatorum meorum, quibus te ſummum

mum Bonum meum heu! tam graviter offendi; Spero in te, ò Deus cordis mei, unica ſpes, & conſolatio mea! ſpero firmiſſimè, me ab infinita pietate tua obtenturum omnia ad ſalutem neceſſaria, gratiam copioſam, & gloriam ſempiternam; quoniam tu es Domine ſpes mea, altiſſimum poſuiſti refugium meum.

4. Summæ Bonitati.

Actus Amoris.

AMo te, ò amabiliſſime Deus! ex toto corde meo, amo te ſuper omnia propter infinitam Bonitatem tuam; & vellem, ſi poſſem, amare te illo amore, quo te amant omnes Sancti, B. V. & JESUS Chriſtus, Filius tuus, illaque charitate, qua te ipſum infinitè amas; & ex ſinceriſſimo tui amore doleo, quòd te ſæpiùs offenderim; quidquid unquam perpeſſus fuero, vel patiar, omne illud propter amorem tuum offero gloriæ tuæ; tibi totum me in holo-

holocaustum consecro, ô Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum:

5. Divinæ Providentiæ.
Gratiarum Actio.

GRatias tibi ago infinitas liberalissime Deus! pro innumeris beneficiis mihi, totique mundo maximè verò Electis tuis, Beatissimæ Virgini, ac SS. Humanitati Christi à paterna providentia, ac liberalitate tua indesinenter collatis; gratias tibi ago pro mediis ad salutem aptissimis mihi & singulis hominibus tam clementer concessis, & pro copiosis naturæ, & gratiæ donis, quibus nos cumulare nunquam desinis: ò utinam tantis beneficiis tuis nunquam contra te abutamur. sed omnia purissima intentione referamus in te bonorum omnium fontem inexhaustum! in gratiarum actionem offero tibi ò Pater amantissime me totum, & omnia mea, &

ex animo gaudeo, hæc omnia infinitis titulis tibi jam dudum fuiſſe debita, quæ tibi novo amoris, & gratitudinis affectu integerrimè conſecro, & quid aliud niſi me ipſum, & omnia mea retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi.

6. Divinæ Juſtitiæ.

Actus Pœnitentiæ.

O Juſtiſſime Deus! ego execrabilis peccator coram infinita Majeſtate tua, & Bonitate proſtratus corde contrito, & humiliato, confiteor me reum læſæ Majeſtatis tuæ infinitæ, veniamque meorum criminum ſupplex rogo: deteſtor ex animo, amore tui omnia peccata mea, quibus te amabiliſſimam Deum meum tam ſæpè offendi, & cum gratia tua propono firmiſſimè nunquam deinceps offendere te Summum Bonum meum; ò utinam omnes halitus mei ſint gemitus dolentis, ac pœnitentis cordis mei! ut per hunc dolo-

dolorem meum in aliquo ſaltem tibi ſatisfacere poſſem! ó juſtiſſime ſcelerum Vindex, & miſericordiſſime Pater! hìc ure, hìc ſeca, modò in æternum parcas, à Judiciis enim tuis timui.

7. Sanctiſſimæ Trinitati.

Actus Glorificationis.

BEnedico te, laudo te, glorifico te ò SS. Trinitas, unus Deus! tibi ſoli laus, honor & gloria ab omni creatura nunc & ſemper, gloria Patri, qui creavit me, gloria Filio, qui redemit me, gloria Spiritui ſancto, qui ſanctificavit me; gloria Patri, qui me ſuſtentat per ſuam potentiam, gloria Filio, qui me gubernat per ſuam ſapientiam, gloria Spiritui S. qui me ſanctificat per ſuum amorem. Benedicta ſit ſancta, & individua Trinitas nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen. Benedicite gentes, & omnes creaturæ Deum noſtrum, & auditam facite vocem laudis ejus.

8. Di-

8. Divinæ Sapientiæ, Omnipotentiæ, & Bonitati.

Actus Conformitatis.

O Mi Deus infinitæ Sapientiæ, potentiæ & bonitatis! ó utinam semper integrè exequar SS. beneplacitum tuum, nec unquam contradicam divinis tuis Prophetis! tu nôsti Domine, quid mihi ad salutem sit magis necessarium, & proficuum; tu solus potes, & vis me salvare, cur ergo non desiderem voluntatem tuam in me, per me, & à me semper, & perfectè adimpleri? ò Pater clementissime! quidquid vis, quantum vis, & quando vis, & ego volo, fiat tua in me, de me, circa me in omnibus SS. voluntas in æternum, nam concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore, tu tantùm diriges gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

ORATIO, PRO RELIGIOSIS ad renovandam Professionem in majoribus solemnitatibus post sacrificium Missæ, vel coram sanctissimo Sacramento.

GRatias tibi ago Domine JESU Christe, pro gratia illa singulari, qua me vilissimum peccatorem de hoc sæculo nequam eduxisti, & in hoc religiosissimo Ordine ad solemnem Professionem admisisti. Doleo ex toto corde, quòd gratiæ huic non satis responderim, & tanto beneficio fuerim ingratus. Detestor omnes negligentias in hoc statu commissas, & quòd tam parùm ad ejus perfectionem adspiraverim. Ignosce mihi Deus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, & da, ut vel nunc tandem tua gratia incipiam, quod equidem ex animo cupio & propono. Quòd si me votis needum tuæ Majestati obstrinxissem,

ſem, nunc ſanè id facerem, ideoque quanta devotione poſſum, illa nunc renovo, & novo fervore tibi promitto, *PAUPERTATEM, CASTITATEM, & OBEDIENTIAM SECUNDUM REGULAM SANCTI N.* Verumtamen, quia ad hæc implenda me nimis tepidum & infirmum agnoſco, rogo te miſericordiſſime JESU, ut qui dediſti mihi vovendi voluntatem, tribuas etiam exequendi facultatem: meque ita dirigas, ut non mihi, ſed tibi ſoli vivam; omnesque Ordinis obſervantias, & quidquid animæ meæ perfectionem promovere poſſit, ſummo ſtudio amplectar, ad gloriam nominis tui, qui es Deus benedictus in ſæcula. Amen.

VARIÆ INTENTIONES
per diem faciendæ, deſumptæ ex libello S. Gertrud.

Suſpi-

Suspirium ante Orationem.

SAnctissime Pater, in unione amoris dilectissimi Filii tui, commendo tibi spiritum meum,

Vel.

DOmine JESU in unione istius intentionis & amoris, quo tu laudes Deo Patri persolvisti, has tibi horas offero & persolvo.

Suspirium post divinum Officium.

DEus propitius esto mihi peccatori. *Vel* Agne Dei benignissime & mansvetissime miserere mei: & per temetipsum supple, quidquid in hac hora neglexi.

ORATIO POST OFFICIUM seu quamcunque Orationem.

DOmine JESU, ego hoc tepidum, distractumque servitium meum commendo divino cordi tuo emendandum & perficiendum: tibique illud offero in unione amoris illius, quo tu mortem pertulisti, eamque cum omni fructu sanctissimæ Humani-

manitatis tuæ in die Aſcenſionis Deo Patri præſentaſti.

Modus offerendi efficaciſſimus.

DOmine, hoc opus offero tibi per unicum Filium tuum, in virtute Spiritus ſancti in laudem æternam.

Ad ſonitum Horologii.

DUlciſſime JESU, quidquid hac hora feci, illud commendo divino cordi tuo emendandum, Deoque Patri ad laudem æternam offerendum. Et quidquid hac ſequente hora faciam, illud purè ad laudem Dei, & ad ſalutem Univerſitatis in unione Paſſionis tuæ perficiam.

Ante laborem.

DOmine JESU; in unione perfectiſſimorum operum tuorum commendo tibi hoc opus meum, ſecundùm tuam laudabiliſſimam voluntatem regendum, ad ſalutem totius Univerſitatis.

Poſt

Post laborem.

DOmine JESU, in unione perfectissimorum operum tuorum offero tibi hoc opus meum ad emendandum, ac Deo Patri dignè præsentandum in laudem æternam. Amen.

Ante comestionem.

DOmine JESU, hunc cibum suscipio in illo amore, quo tu eundē sanctificasti, cùm in tua sanctissima Humanitate consimili utereris ad laudem Dei Patris, & salutem totius generis humani: orans, ut in unione divini amoris tui cedat in augmentum salutis omnibus, cælestibus, terrestribus, & purgandis.

Sub comestione.

VIrtus tui divini amoris me totum tibi incorporet, amantissime JESU.

Et inter bibendum.

EFfectum vehementissimæ charitatis tuæ, amantissime JESU,

transfunde, & conversa in intimis meis, qui penetrando totam substantiam meam, jugiter distillet per omnes sensus corporis & animæ meæ ad laudem tuam æternam.

Post lapsum in peccatum.

O Unica salus mea, Christe JESU, da, ut per saluberrimam mortem tuam deleantur omnia delicta mea. Amen.

Oratio à Sacerdote dicenda ante administrationem Sacramenti pœnitentiæ.

DOmine JESU, hoc sacrum pœnitentiæ Sacramentum administrare volo in amore illo superexcellenti, quo illud sanctificasti, cùm præ vehementissimo salutis nostræ desiderio illud instituisti, & ab Apostolis, eorumque successoribus administrari voluisti, ad laudem Dei Patris, & salutem totius generis humani: rogans, ut in unione amoris tui tam mihi, quàm omnibus & singu-

singulis, quibus illud ministrabo, cedat in augmentum salutis & beatitudinis æternæ. Spiritus sancti gratia ita illuminet, accendat ac conservet sensus meos, & cor meum, ut juxta tuum summum beneplacitum injunctum ministerium perficere, & ab omni tentationum incursu præmuniri, & præservari merear. In nomine Patris & Filii, &c.

Post Confessionem. Oratio.

DOmine JESU Christe, Fili Dei vivi, suscipe hoc obsequii mei ministerium in amore illo superdignissimo, quo B. Mariam Magdalenam, omnesque ad te confugientes peccatores absolvisti. Et quidquid in Sacramenti hujus administratione negligenter, minusque dignè perfeci, tu per te supplere & satisfacere digneris. Omnes & singulos, qui mihi modò confessi sunt, commendo dulcissimo

cordi tuo, rogans. ut eosdem custodias, & à recidiva præserves, atque post hujus vitæ miseriam tecum ad gaudia perducas æterna. Amen.

Ad impetrandam quamcunque gratiam per merita S. Gertrudis Virginis, cui Christus promisit, quôd si quis devotè pro ea Dominum laudans oraret pro aliqua re per amorem illum, quo eam ab æterno elegit &c. illius preces indubitanter vellet adimplere &c. l. 5. c. 31.

DUlcissime Domine JESU Christe laudo te, & gratias ago tibi pro universis beneficiis tuis, quæ dilectæ Sponsæ tuæ Gertrudi Virgini contulisti, & rogo te per illum Amorem, quo tu eam ab æterno ad specialem gratiam elegisti, temporeque placito svaviter attraxisti, ac familiariter tibi univisti, jucundeque in anima ejus habitasti, & cursum vitæ ejus tam beato fine consummasti, ut mei miserearis, mihi

veram mentis puritatem concedas, meque tibi reddas placentem, & ad vitam perducas æternam. Amen.

PRECES VESPERTINÆ EX Libello Gertrudiano.

Gratiarum Actio mirè efficax.

Ex S. Gert. l. 2. c. 2. & 14.

AVe ſalus, & illuminatio animæ meæ, Deus meus. Gratias tibi referat, quidquid cœli ambitus, terrarumque circuitus, & abyſſi complectitur profundum, pro univerſis beneficiis & miſerationibus tuis, quæ mihi in corpore & anima contuliſti. Quoniam cùm tantus ſit numerus, quòd nequaquam valeam reſpondere uni pro mille: hinc idipſum illi æternæ immenſæ, & incommutabili gratitudini committo, qua tibi ò fulgida ſemperque tranquilla Trinitas ex te ipſa, per te ipſam, & in te ipſa omne debitum plenè ſuppletur. Et hinc

me quasi pulvis exiguus ingerens, per eum, qui in substantia mea tibi assistit, offero tibi laudes & gratiarum actiones, quales dedisti nobis posse per eundem in Spiritu sancto. Amen.

Hic examina conscientiam juxta praxim superius notatam fol. 34. & elicita contritione, cum intimo suspirio dic cum S. Gertr. l. 2. c. 11.

IN amaritudine Passionis JESU Christi Filii tui, amantissime Pater, moveo querimoniam, vehementer me accusans, quòd hodie tam infideliter tibi servierim, teque benignissimum Patrem tot & tantis negligentiis & peccatis offenderim: de quibus ex intimo corde dolens, in spiritu humilitatis, & in animo contrito percutio pectus meum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Et pro universis negligentiis meis, quibus svavifluum Spiritum tuum in me extinxi, offero tibi

pœnas

pœnas & lacrymas dilecti Filii tui. Et peto in unione efficacissimæ orationis ejusdem in virtute Spiritus sancti omnium peccatorum meorum emendationem, defectuumque meorum suppletionem. Quod mihi præstare digneris per amorem illum, qui te continuit, cùm tuæ paternæ deliciositatis amantissimus Unicus tuus cum sceleratis reputaretur. Amen.

COMMENDATIO AD Cor JESU.

O Cor JESU dulcissimum, tibi commendo hac nocte cor & corpus meum, ut in te dulciter requiescant. Et quoniam ego jam obdormiturus, Deum laudare nequeo, tu illud pro me supplere digneris; ita ut quot pulsus cor meum hac nocte dederit, tot laudes SS. Trinitati pro me persolvas: omnemque halitum, quemque spiravero, in te susceptum, eidem tanquam

vivas amoris ſcintillas offerre velle. Amen.

COMMENDATIO AD BEATISſimam Virginem Mariam & SS. Patronos:

IN tuam maternam fidelitatem, ac ſingularem cuſtodiam commendo me hac nocte, ò beatiſſima Virgo Maria, rogans, ut me ab inſidiis inimici tuearis. O dilectiſſime Angele Cuſtos: ò vos SS. Patroni mei, hac nocte defendite & incolumem ſervate me. Et pro me dormiente inceſſanter Deum meum laudate: mihique veſtram benedictionem, quam humiliter peto, conferre dignemini, Amen.

PROMISSIO S. P. BENEDICTI de felici morte.

Facta per S. Gertrudem l. 4. in fin. Divin. Piet. c. 11. hoc modo.

QUicunque me admonere ſtuduerit illius dignitatis, qua me Dominus meus tam glorioſo fine dignatus

gnatus est honorare ac beatificare, huic ego in hora mortis suæ tali fidelitate volo adesse, quòd certo opponam me illi ex omni parte, qua videro insidias inimicorum nociviùs contra ipsum sævire, ut mea præsentia munitus, laqueos inimicorum evadat, ac cœli gaudia petat sine fine beatus.

ORATIO.

Ad S. P. Benedictum pro felici morte.

O Beate Pater, gratia & nomine à Deo Benedicte, qui Angelicum tuum spiritum, erectis ad cœlum manibus, stans & orans in manus tui Creatoris felicissimè commendasti, atque omnes, qui gloriosæ mortis tuæ, & cœlestium gaudiorum quotidie te admonituri essent, in suprema mortis lucta contra omnes inimicorum insidias, strenuè te defensurum promisisti, custodi me, quæso, gloriose Pater,

hodie & quotidie tua ſancta benedictione, ut à benedicto noſtro JESU, atque à tua & omnium Benedictorum ſocietate nullo malo valeam ſeparari. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

INTENTIO ANTE SOMNUM, *quam Chriſtus B. Gertrudem docuit. l. 4. c. 13.*

DOmine JESU, hunc ſomnum ſuſcipiam in illo amore, quo tu eundem ſanctificaſti, cùm in tua SS. Humanitate conſimiliutereris ad laudem Dei Patris, & ſalutem totius generis humani: orans, ut in unione Divini amoris tui cedat in augmentum ſalutis omnibus cœleſtibus, terreſtribus & purgandis, Amen.

Decubiturus pollice ſcribe in fronte tua has literas: J. N. R. J. *interim dicens:*

JESUS Nazarenus Rex Judæorum, præſervet me à ſubitanea mala morte. *S. Edmun-*

S. Edmundo dixit Christus, quòd quicunque hoc fecerit, subitanea morte ista nocte non sit moriturus. Surius in ejus vita.

ALIÆ PRECES VESPERTINÆ.

VEsperi, dum cubitum te conferes, cave ne Dei sis immemor, cujus favore hucusque diem & vitam perduxisti, forsan non producturus usque manè, nisi Deum tibi hoc vespere reconcilies. Mortis sanè memoriam ipse quodammodo lectus ingerit, in quem velut in sepulchrum nuda membra reponis; & quid est somnus ipse, nisi frater & imago mortis? Nimiùm temerarius est, qui offenso, & non reconciliato Deo audet se nocti & somno credere. Quin sic potiùs ad nocturnam te quietem compara, ac si quis auri insusurret,

Hac nocte repetent à te animam tuam.

LITANIÆ LAURETANÆ DE Beatiſſima Virgine Maria.

KYrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerere no.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere nobis.

Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Chriſti,
Mater Divinæ gratiæ,
Mater puriſſima,
Mater caſtiſſima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,

} Ora pro nobis.

Ma-

Mater amabilis, | Ora pro nobis.
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiæ,
Sedes Sapientiæ,
Causa nostræ lætitiæ,
Vas spirituale, | Ora pro nobis.
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,
Janua cœli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,

Refu-

Refugium peccatorum,
Conſolatrix afflictorum,
Auxilium Chriſtianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apoſtolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confeſſorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina ſacratiſſimi Roſarii,
Regina Decor Carmeli.
Regina Regni Poloniæ.

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Ave Maria.

Sub tuum præſidium confugimus ſancta Dei Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitati-

bus

bus nostris: sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, & benedicta. Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta.

℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. *Oratio.*

GRatiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus, & crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Ora pro nobis beatissime Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ore-

Oremus. *Oratio.*

SAnctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Aē.

Commendatio nocturna ad B. V.

O Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ, hac nocte, & semper, & in hora exitus mei, animam meam, & corpus meum tibi commendo: omnem spem meam, & consolationem meam, omnes angustias & miserias meas, vitam & finem vitæ meæ maximè N. tibi committo; ut per tuam sanctissimam intercessionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur & disponantur opera, secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

I. Ave-

I. Ave Maria &c.

O Domina mea ſancta Maria, ſicut Deus Pater per omnipotentiam ſuam te potentiſſimam effecit, ita mihi quoque adſis nunc, & in hora mortis meæ, expellendo à me omnem contrariam poteſtatem, Aē.

II. Ave Maria, &c.

O Domina mea ſancta Maria, ſicut Filius Dei tanta te cognitione, & claritate illuminare dignatus eſt, ut totum cœlum illumines, ita nunc, & in hora mortis meæ animam meam cognitione fidei ſic illuſtres, & corrobores, ut nullo errore, aut ignorantia pervertatur, Amen.

III. Ave Maria, &c.

O Domina mea ſancta Maria, ſicut Spiritus ſanctus ſuum amorem tibi plenè infudit, ita tu nunc, & in morte mea dulcedinem amoris divini mihi inſtilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur ſvaviſſima, Amen.

Beatiſ-

Beatissima V. Maria per S. Mechtildem omnibus hanc trinam salutationem quotidie recitantibus certam promisit in agone mortis assistentiam.

Alia Oratio pro felici morte ad SS. Trinitatem.

Ad Deum Patrem.

PAter æterne, per vitam, & mortem dilectissimi, Filii tui, perque viscera misericordiæ tuæ rogo te, concede, ut in bono perseverem, & moriar in gratia tua.

Ad Filium.

BOne JESU, per charitatem æterni Patris, & ultima in cruce verba, quibus Patri spiritum tuum commendasti, te rogo suscipe spiritum meum in fine vitæ meæ.

Ad Spiritum sanctum.

SPiritus Sancte Deus, miserere mei, & sancta inspiratione tua me semper, & potissimùm in hora mortis meæ corrobora. Sanctissima Trinitas unus Deus, miserere mei

nunc,

nunc, & in hora mortis meæ. Aē.

Recommendatio ad omnes Sanctos.

O Angele Dei, qui Custos es mei, cæterique spiritus Angelici: & vos ò Patroni mei beatissimi omnesque Sancti, & Sanctæ Dei, recommendatum me vobis, benignè custodire, & liberare dignemini ab omni tentatione, & phantasmate diaboli, ut ista svaviter nocte transacta manè crastino mundo corde, castoque corpore resurgens incolumis, Deo fideliter in hac vita mortali servire, & in æterna denique vobiscum eundem Dominum Deum Creatorem nostrum facie ad faciem videre merear. Amen.

Protestatio Vesperi, vel mane facienda.

O Domine JESU Christe, ego quamvis indignus, & miser peccator, firmiter, & puro corde & ore ad plenum confiteor sanctam fidem Catholicam, & omnes arti-

culos

culos ejus, ficut alma Mater Ecclefia Romana prædicat, docet, & tenet: fed cùm multa, Domine, occurrant pericula, & varia tentamenta, fi forfan (quod abfit) occafione ipforum, aut in articulo mortis, aut aliàs per alienationem intellectus à fancta fide Catholica deviarem, aut alicui peccato confentirem, proteftor nunc pro tunc, & econtra, coram tua fanctiffima Majeftate, & gloriofiffima Matre tua Maria, Angelo meo Cuftode, & fanctiffimo (N) Benedicto Patre noftro, & omnibus Sanctis, quòd in hac fancta Fide Catholica, & in plenitudine fervoris ejusdem Fidei, in finu facro-fanctæ Ecclefiæ Matris meæ, quæ nefcit claudere gremium redeunti in fe, fine confenfu alicujus peccati volo femper vivere, & mori. Amen.

Antequam cubitum eas, vide ut invifas SS. Altaris Sacramentum, vel

vel saltem, ad illam Ecclesiam, ubi illud asservatur, conversus ab illo benedictionem nocturnam petes dicendo.

BENEDICTIO
Manè, & vesperè usurpanda.

BEnedicat nos bone JESU tua omnipotentia, instruat nos tua Sapientia, repleat nos tua dulcedo, trahat, & uniat nos tibi tua bonitas in sæcula. Amen.

PAx Domini nostri JESU Christi; & virtus sacratissimæ Passionis ejus: Signum S. Crucis, & Titulus triumphalis: *JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUm*: Integritas quoque beatissimæ Virginis Mariæ: Custodia SS. Angelorum, præsertim Tutelaris mei; Et suffragia omnium Electorum Dei, sint inter me, & omnes inimicos meos visibiles & invisibiles, nunc & in hora mortis meæ. Amen. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Cubitum iturus dic.

Oratio S. P. Benedicti pro nocturna quiete ex Biblioth. SS.PP. tom. 15.

GRatias tibi ago omnipotens Deus, qui me per tuam ſanctam miſericordiam in hac die cuſtodire dignatus es, deprecor immenſam clementiam tuam, ut concedas mihi hanc noctem ſine ullo peccato, aut impedimento ſathanæ, cum dulci & pudica requie pertranſire: ut matutino veniente tempore, purè & ſtrenue ſurgens tibi Deo meo laudes referre valeam, Amen.

IN nomine JESU dormitum eo, ille me cuſtodiat, regat, & benedicat in æternum, Amen.

Domine JESU Chriſte, ego omnes hujus noctis actiones, perturbationes, anguſtias, dolores, diaboli illuſiones, & tentationes, ac reſpirationes offero tibi in laudem æternam.

Fac me JESU dulciſſime, ſuper pectus

pectus tuum requieſcere, da mihi trahere anhelitum de mellifluo corde tuo, influat Spiritus tuus ſvaviſſimus in animam meam, qui eam abſorbeat, & inſeparabiliter ſibi uniat. Tu quæſo, mecum maneas hac nocte, ut dormiente corpore mens ſemper ad te vigilet, & te præſentem videat: Deus Creator meus, reſpice me miſericordia tua, & mihi ſomnia diſpone, ut in tuum amorem, tanquam in ſomnum ſuum incumbat cor meum, & in te ſolùm requieſcam nunc & in æternum.

In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis. Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam: Qui plaſmaſti, redemiſti, & ſanctificaſti me, miſerere mei, ò Deus meus, & Dominus meus, amor meus, & omnia.

Domine JESU ego ſum ille miſer,

ser, quem tu pro paterna bonitate tua creasti, meque per ignominiosissimam Passionem ac Mortem tuam redemisti, ideò tu solus in me potestatem habes, meque salvare potes, secundùm immensam bonitatem, & misericordiam tuam, in qua totus spero, & confido.

Denique in latus tuum sacratissimum me totum projicio & immergo, dispone ibi de me juxta beneplacitum tuum, nunc, & in æternum. Amen.

Jamjam lectum ascensurus.

In nomine Patris † & Filii † & Spiritus † sancti Amen.

In pace in idipsum dormiam & requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe, constituisti me.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.

Nos cum prole pia benedicat virgo Maria, Amen. *Jam*

Jam decumbens in lecto dic pro Fidelibus Defunctis Psalmum De profundis cum annexis Orationibus: & contra omnes tentationes diabolicas, ac illusiones nocturnas efficacissimum Psalm. 53. Deus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua judica me. &c. *tandem renova actus præcipuarum virtutum & illis indormi in nomine Domini.*

OFFICIUM SACRATISSIMI CORDIS JESU.

Ad Matutinum.

COr JESU flagrans amore mei inflamma cor meum amore tui. Amen.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, &c.
Hymnus.

CÆlestis aulæ gloria,
Qui ſedes lapſus ætheris
Cœli triumphos deſeris,
Ut noſtra fias hoſtia.
JESU voluptas cordium,
Cor ure ſacris ignibus,
Dignis ut ornem laudibus
Cordis tui præconium.
JESU Patris cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Antiph. O ſacrum Cor JESU Patris voluntati obſequentiſſimum! inclina ad te corda noſtra; ut quæ placita ſunt ei, faciamus ſemper.

℣. Paratum cor meum Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus volui, & legem

tuam

tuam in medio cordis mei.

Oremus.

RESpice, quæsumus, misericordissime Deus in cor dilectissimi Filii tui, in quo tibi bene complacuisti, ejusque SS. Cordis mœroribus, quos nostri causa pertulit, & dignis satisfactionibus, quas pro nobis tibi persolvit, placatus, concede corde contrito petentibus, nostrorum nobis veniam peccatorum: & tanto Christi amore cor nostrum accende, ut ipsius divini cordis affectibus toti incensi, secundùm cor tuum inveniri mereamur. Per eumdem Dominum &c.

Ad Primam.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei.
℟. Inflamma cor meum amore tui.
℣. Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

O Cor amoris Victima,
Cœli perenne gaudium,

Mor-

Mortalium ſolatium,
Mortalium ſpes ultima.
Tu Trinitatis gloria;
Jungit tibi ſe Filius,
In te quieſcit ſpiritus,
In te Patris ſunt gaudia.
JESU Patris cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Antiph. O Sacrum Cor JESU ſalutis noſtræ ſitientiſſimum! Revoca nos prævaricatores ad cor, ut non moriamur in peccatis noſtris.

℣. Paratum cor meum &c.
℟. Deus meus volui, & legem &c.
Oremus. Reſpice, quæſumus &c. *ut ſuprà.*

Ad Tertiam.

℣. Cor JESU flagrans amore mei.
℟. Inflamma cor meum amore tui.
℣. Deus in adjutorium meum, &c.
Gloria Patri, &c.

Hymnus

Hymnus.

TE ſole puro purius
Verbi Dei ſacrarium,
Verbi Dei Palatium,
Templumque cœlo dignius,
Te digna ſedes numine,
Fœcunda virtus Flaminis,
Illapſa in alvum Virginis
Puro creavit ſangvine.
JESU Patris cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Antiph. O ſacrum cor JESU puritatis exemplar perfectiſſimum! fac nos eſſe mundo corde, ut ſecundùm cor tuum inveniri mereamur.

℣. ℟. Oremus. *ut ſuprà.*

Ad Sextam.

℣. Cor JESU flagrans amore mei.
℟. Inflamma cor meum amore tui.
℣. Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri &c.

Hymnus.

COr dulce! Cor amabile!
Amore noſtri ſaucium,
Amore noſtri langvidum;
Fac ſis mihi placabile.
Vindex reis iraſcitur
Deus: ſed ut te reſpicit,
Placatus iras abjicit,
Et fulmen obliviſcitur.
JESU Patris cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Antiph. O ſacrum cor JESU hoſtibus tuis mitiſſimum! exultet pax tua in corde noſtro, ut perſequentibus, & calumniantibus nos remittamus de cordibus noſtris.

℣. ℟. Oremus. *ut ſuprà.*

Ad Nonam.

℣. Cor JESU flagrans amore mei.
℟. Inflamma cor meum amore tui.
℣. Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri, &c.

Hy-

Hymnus.

GRandi reclusum vulnere,
Amor dedit te pervium;
Amor reclusit ostium,
Hortatur & pervadere.
Quos abluisti sangvine
Venis apertis omnibus
Nos intimis recessibus
Semel receptos contine,
JESU Patris cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Antiph. O sacrum Cor JESU doloris patientissimum! da nobis cor contritum, & humiliatum, ut fructus dignos pœnitentiæ faciamus.

℣. ℟. Oremus. *ut suprà.*

Ad Vesperas.

℣. Cor JESU flagrans amore mei,
℟. Inflamma cor meum amore tui.
℣. Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

NOvo Deus Myſterio
Carnem ſuam dat pabulum,
Et ſangvinem dat poculum,
Mirabili convivio.
Quem proni adorant Angeli,
Hic temperato numine
Sub myſtico velamine
Fit eſca vilis ſervuli.
JESU Patris cor unicum,
Puris amicum mentibus·
Puris amandum cordibus
In corde regnes omnium.

Antiph. O ſacrum Cor JESU paupertatis amantiſſimum! pone nos ut ſignaculum ſuper te: ut in te unico theſauro noſtro totum ſit cor noſtrum.

℣. ℟. Oremus. *ut ſuprà.*

Ad Completorium.

℣. Cor JESU flagrans amore mei.
℟. Inflamma cor meum amore tui.
℣. Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri &c.

Hymnus.

COr Matris ad cor Filii
Amoris ardens impetu
Indesinente anhelitu
Suspirat, oblitum sui;
Utrumque amoris vinculum
Conjungit arctis nexibus,
Hoc ardet hujus ignibus,
Ignemque reddit æmulum.
JESU Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Antiph. O sacrum Cor JESU amantibus te beneficentissimum! deficiat in te caro nostra, & cor nostrum, ut sis Deus cordis nostri, & pars nostra Deus in æternum.

℣. Paratum cor meum Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

Oremus. Respice quæsumus, &c. *ut suprà.*

LITANIÆ DE NOMINE JESU.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Chriſte audi nos.

Chriſte exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.

Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere nobis.

Jeſu Fili Dei vivi,
Jeſu potentiſſime,
Jeſu fortiſſime,
Jeſu perfectiſſime,
Jeſu glorioſiſſime,
Jeſu mirifice,
Jeſu jucundiſſime,
Jeſu chariſſime,
Jeſu clarior ſole,
Jeſu pulchrior luna,

(Bracketed response, set vertically: Miſerere nobis.)

Jeſu

Jesu splendidior stellis,
Jesu admirabilis,
Jesu delectabilis,
Jesu honorabilis,
Jesu humillime,
Jesu pauperrime,
Jesu mitissime,
Jesu patientissime,
Jesu obedientissime,
Jesu castissime,
Jesu amator castitatis,
Jesu amator pacis,
Jesu amator noster,
Jesu speculum vitæ,
Jesu exemplar virtutum,
Jesu decus morum,
Jesu zelator animarum,
Jesu refugium nostrum,
Jesu Pater pauperum,
Jesu consolatio afflictorum,
Jesu thesaurus fidelium,
Jesu gemma pretiosa,
Jesu armarium perfectionis,
Jesu bone pastor ovium,

Miserere nobis. Miserere nobis.

Jeſu ſtella maris,
Jeſu lux vera,
Jeſu ſapientia æterna,
Jeſu bonitas infinita;
Jeſu gaudium Angelorum,
Jeſu Rex Patriarcharum,
Jeſu inſpirator Prophetarum,
Jeſu magiſter Apoſtolorum,
Jeſu doctor Evangeliſtarum,
Jeſu fortitudo Martyrum,
Jeſu lumen Confeſſorum,
Jeſu ſponſe Virginum'
Jeſu corona Sanctorum omnium. } Miſerere nobis.

Propitius eſto, Parce nobis Jeſu.
Propitius eſto, Exaudi nos Jeſu.
Ab omni malo, Libera nos Jeſu,
Ab omni peccato, Libera nos Jeſu,

Ab ira tua,
Ab inſidiis diaboli,
A peſte, fame, & bello,
A tranſgreſſione mandatorum tuorum,
Ab incurſu omnium malorum,
Per incarnationem tuam, } Libera nos Jeſu.

Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per circumcisionem tuam,
Per dolores tuos,
Per flagella tua,
Per mortem tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
Per dulcissimam Virginem Matrem tuam,
Per intercessionem omnium Sanctorum tuorum,

} Libera nos Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis Jesu.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & usque in sæculum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui gloriosissimum nomen JESU Christi Filii tui Domini nostri, fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile, & malignis spiritibus tremendum atque terribile: concede propitius; ut omnes, qui hoc nomen JESU devotè venerantur in terris, sanctæ consolationis dulcedinem in præsenti percipiant, & in futuro gaudium exultationis, & interminabilis beatitudinis obtineant in cœlis. Per eundem Dominum nostrum. &c.

Oratio ad Nomen Jesu.

O Bone Jesu, o piissime Jesu, ô dul-

dulcissime JESU, o Jesu Fili Dei, & Mariæ Virginis, plene misericordia & pietate; o dulcis Jesu secundum magnam misericordiam tuam, miserere mei. O clementissime Jesu, per pretiosum illum sanguinem, quem pro peccatoribus effudisti, deprecor te, ut abluas omnes iniquitates meas, & in me miserum & indignum, humiliter veniam petentem, & hoc sanctum Nomen JESU invocantem respicias. O Nomen JESU, Nomen delectabile! Nomen Jesu, Nomen amabile! Quid est enim Jesus nisi Salvator? ergo Jesu, propter Nomen sanctum tuum esto mihi JESUS, & salva me. Ne permittas me damnari, quem pretioso sangvine tuo redemisti. O bone JESUS, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O benignissime JESU, miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me, dum tempus est judicandi. O piissime

JESU, si me damnare velit tua severa justitia, appello, & confugio ad tuam piissimam misericordiã. O amantissime JESU, ò desideratissime JESU, ò mitissime JESU, ò JESU, JESU, JESU suscipe me in numerum Electorũ tuorum. O JESU salus in te credentium, ò JESU fiducia ad te confugientium, ò JESU dulcedo te amantium; fac ut diligam te, tibique fideliter adhæream, & post hanc miseram miseriam feliciter ad te perveniam, Amen.

Salutatio SS. Cordis JESU.

SAlve Cor JESU dulcissimum. svavisonum SS. Trinitatis organum. Salve cor JESU mellifluum, omnis bonitatis & gratiæ vivum profluvium. Salve cor JESU amantissimum, omnium divitiarum Dei nobilissimum Triclinium. Millies & millies benedico & saluto te in divina bonitate, qua es fons & origo, ex qua omnis bonitas & misericor-

ricordia ſcaturit. O nobile & pretioſum cor JESU Chriſti, per mutuam gratitudinem colendæ Trinitatis ſaluto & adoro te in abundantia omnium gratiarum, quæ effluxerunt, & ſine fine effluent in omnes ſanctas & devotas animas, quas toties irrigaſti & inebriaſti torrente divinæ voluptatis tuæ.

O Cor JESU, cor dulce. O cor JESU, cor ſvave. O cor JESU, cor amabile. O cor manans dulcedine, re undans pietate, ſupereffluens charitate. In tuam intimam medullam immergo meum ſpiritum, & in profundo tuæ miſericordiæ ſepelio totum pondus iniquitatis & negligentiæ meæ. Tibi offero omnes meos labores & ſudores: tibi dedico omnes meas anguſtias & miſerias: tibi commendo vitam & finem vitæ meæ. O cor thymiama dulciſſimum, incenſum ſvaviſſimum, ſacrificium digniſſimum: offer temetipſum ſu-

per reconciliationis humanæ altare aureum, in ſupplementum omnium meorum, quos vixi, dierum, in quibus Deo non detuli fructum.

Benedico te cor JESU nobiliſſimum in illo amore, quo à Spiritu ſancto ex caſtiſſimo Mariæ Virginis ſangvine es creatum. Glorifico te cor JESU dulciſſimum in illo amore, quo à SS. Trinitate omnibus cœleſtibus bonis es decoratum. Magnifico te cor JESU mitiſſimum in illo amore, quo ſemper erga genus humanum arſiſti. Veneror te cor JESU benigniſſimum in illo amore, quo in Cruce moriens disruptum fuiſti. Colludo te cor Jesu fidiſſimum in illo amore, quo lancea transverberari, ſangvinemque & aquam diſtillare voluiſti.

Te igitur ò ſuperdigniſſima Trinitas, per illud ſuperbenedictum cor, laudo, glorifico & benedico, quòd potueris, ſciveris, atque volueris huic

huic nobilissimo cordi tam multiplicia dona, gratiarumque abundantiam conferre: & summo, quo possum affectu & reverentia offero tuæ supremæ Majestati idipsum cor dulcissimum ac unicè dignissimum in ea dignitate, qua plenum est divina gratitudine, ac omnimodæ beatitudinis perfectione superexcellens in perpetuum: orans, ut per illud ipsum supplere, ac perfectè restaurare digneris, quidquid mali commisi, & in omni bono neglexi. Amen.

Salutatio SS. Sacramenti Altaris.

SAlve nobilissimum Corpus & pretiosissime Sangvis Domini mei JESU Christi, sub hac panis specie verè præsens, te adoro tali cultu & devotione, qua novem Angelorum chori te venerantur & colunt. Coram te procido in spiritu humilitatis, credens & confitens, quód

quòd tu Dominus meus & Deus meus verè hic continearis.

Salve nobilissimum Corpus Salvatoris mei JESU Christi vera hostia in cruce immolata. Adoro te in unione istius adorationis, qua Humanitas tua adoravit Divinitatem: & cum affectu totius Universitatis ago tibi gratias, quòd pro salute nostra hìc delitescere digneris.

Salve pie JESU, Verbum Patris, Splendor gloriæ, Fons pietatis, Salus mundi, sacra Hostia. Salve JESU Christe, Splendor Patris, Princeps pacis, Janua cœli, Panis vivus, Virginis partus, Vas Deitatis.

Credo firmissimè, quòd tu Deus meus hìc præsens sis, meque ex hoc Sacramento intuearis, atque intima cordis mei perspicias. Credo, quòd sub hac panis specie non solùm caro & sangvis tuus, verùm etiam Deitas & Humanitas tua contineantur. Quod licèt intelligere

ne-

nequam, adeò tamen firmiter credo, quòd vitam & ſangvinem meum pro ea veritate profundere paratus ſim.

Coram te, ô SS. Sacramentum cum ſumma reverentia procido, & cum omnibus Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cum Cherubinis & Seraphinis, cumque omni militia cœleſtis exercitus, Hymnum gloriæ tuæ concino, dicens: Centies millies laudetur SS. Altaris Sacramentum.

O' intima medulla paterni cordis, gratias tibi ago per mutuam gratitudinem colendæ ſemper & adorandæ Trinitatis, pro eo, quòd hoc inæſtimabile Sacramentum inſtituiſti, per quod cœli & terra reconciliantur, & immenſis gratiarum donis perpetuò replentur.

Glorifico & magnifico ſapientem & benignam omnipotentiam tuam, laudo & adoro omnipotentem &

benignam ſapientiam tuam: benedico & gratias ago omnipotenti & ſapienti Benignitati tuæ, Chriſte JESU, quòd prævaluiſti, ſciviſti & dignatus es in ſalutis noſtræ ſubſidium hoc præmagnificum Sacramentum inſtituere.

O unica & vera fiducia animæ meæ, Chriſte JESU te laudo, te amo, te colo, te adoro, atque humillimè deprecor, ut in hac hora te Deo Patri pro nimiis debitis meis offeras, ſicut teipſum in cruce pro totius mundi reatu obtuliſti.

O Chriſte JESU, dulcis & unicus amor meus, oculis piiſſimæ miſericordiæ tuæ reſpice me indigniſſimum humiliter coram te proſtratum, atque peccatorum meorum veniam toto corde poſcentem.

O Flos nobiliſſime de radice Jeſſe per ineffabilem amorem prædulciſſimi cordis tui miſerere mei, & recipe me in gratiam tuam, propter gloriam nominis tui. O

O Pater amantiſſime, offero tibi hunc dilectum Filium tuum, in perpetuæ laudis tuæ holocauſtum, & in propitiationis peccatorum noſtrorum juge ſacrificium. Reſpice quæſo in faciem Chriſti tui, & memento illius copioſiſſimæ ſatisfactionis, quam tibi pro peccatis noſtris pendit in cruce, & miſerere noſtri. Amen.

Commendatio ſui.

COmmendo me tibi, ò bone JESU! intrá mellifluum cor tuum, abſconde me, nec permitte me in æternum ſeparari à te. Sis mihi in vita ſolatium: in morte viaticum: in æternitate præmium. Id rogo te pro me, omnibus amicis meis, per lachrymas, ſudorem, & ſangvinem tuum. Amen.

Petitio benedictionis.

BEnedic mihi Domine JESU, cum Patre, & ſancto Spiritu, uberemque largire gratiam amplecten-

ctendi semper, & in omnibus, nunc, & in hora mortis tuam sanctissimam voluntatem, Amen.

OFFICIUM DE CONCEPTIONE Immaculata B. V. MARIÆ.

Ad Matutinum.

EJa mea labia nunc annuntiate, Laudes & præconia Virginis beatæ.

℣. Domina in adjutorium meum intende.

℟. Me de manu hostium potenter defende.

Gloria Patri &c. Alleluia, *vel.* Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

SAlve mundi Domina,
Cœlorum Regina:
Salve Virgo Virginum,
Stella matutina.

Salve

Salve plena gratiæ,
Clara luce divina,
Mundi in auxilium
Domina festina.
Ab æterno Dominus
Te præordinavit
Matrem Unigeniti
Verbi, quo creavit.
Terram, Pontum, Æthera,
Te pulchram ornavit
Sibi sponsam, in qua
Adam non peccavit. Amen.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

℣. Domina exaudi orationem meã.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

SAncta Maria, Regina cœlorum, Mater Domini nostri JESU Christi, & mundi Domina, quæ nullum derelinquis & nullum despicis, respice me Domina clementer oculo pi-

lo pietatis, & impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum, ut qui nunc tuam sanctam Conceptionem devoto affectu recolo, æternæ futurum beatitudinis bravium capiam, ipso, quem Virgo peperisti, donante Domino nostro JESU Christo, qui cum Patre & sancto Spiritu vivit & regnat in Trinitate perfecta Deus in sæcula sæculorum. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meã.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

Ad Primam.

℣. Domina in adjutorium meum intende.

℟. Me de manu hostium potenter defende.

Gloria Patri, &c. Laus tibi, &c.

Hy-

Hymnus.

SAlve virgo ſapiens,
Domus Deo dicata,
Columna ſeptemplici,
Menſaque exornata.
Ab omni contagio,
Mundi præſervata,
Antè ſancta in utero
Parentis, quàm nata.
Tu mater viventium,
Et porta es Sanctorum,
Nova ſtella Jacob,
Domina Angelorum.
Zabulo terribilis,
Acies caſtrorum,
Portus & refugium
Sis Chriſtianorum. Amen.

℣. Ipſe creavit illam in Spiritu ſancto.
℟. Et effudit illam ſuper omnia opera.
℣. Domina exaudi orationem meã.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ℣. ℣. & Reſponſoria, *ut ſupra.*

Ad

Ad Tertiam.

℣. Domina in adjutorium, &c.
℟. Me de manu hostium &c.
Gloria Patri, &c. Laus tibi. &c.

Hymnus.

SAlve arca fœderis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher ætheris,
Rubus visionis.
Virgo frondens germinis,
Vellus Gedeonis,
Porta clausa Numinis,
Favusque Samsonis.
Decebat tam nobilem
Natum præcavere
Ab originali
Labe matris Evæ.
Almam, quam elegerat,
Genitricem verè,
Nulli prorsus sinens
Culpæ subjacere. Amen.

℣. Ego in altissimis habito.
℟. Et thronus meus in columna nubis.

℣. Do-

℣. Domina exaudi orationem meã.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
Oratio. ℣℣. & Reſponſoria. *ut ſuprà.*

Ad Sextam.

℣. Domina in adjutorium &c.
℟. Me de manu hoſtium &c.
Gloria Patri, &c Laus tibi &c.

Hymnus.

SAlve Virgo puerpera,
Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis.
Solamen mœrentium,
Hortus voluptatis,
Palma patientiæ,
Cedrus caſtitatis.
Terra es benedicta,
Et ſacerdotalis,
Sancta & immunis
Culpæ originalis.
Civitas Altiſſimi,
Porta Orientalis,
In te eſt omnis gratia,
Virgo ſingularis. Amen. ℣.

℣. Sicut lilium inter ſpinas.
℟. Sic amica mea inter filias Adæ.
℣. Domina exaudi orationem meã.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
Oratio. ℣℣. & Reſponſoria, *ut ſuprà.*

Ad Nonam.

℣. Domina in adjutorium &c.
℟. Me de manu hoſtium, &c.
Gloria Patri, &c. Laus tibi &c.

Hymnus.

SAlve urbs refugii,
Turrisque munita,
David propugnaculis,
Armisque inſignita.
In conceptione
Charitate ignita;
Draconis poteſtas
Eſt à te contrita.
O mulier fortis,
Et invicta Judith,
Pulchra Abiſag virgo,
Verum fovens David.
Rachel curatorem

Ægy-

Ægypti geſtavit;
Salvatorem mundi
Maria portavit. Amen.
℣. Tota pulchra es amica mea.
℟. Et macula originalis nunquam fuit in te.
℣. Domina exaudi orationem meā.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
Oratio. ℣℣. & Reſponſoria, *ut ſuprà.*

Ad Veſperas.

℣. Domina in adjutorium &c.
℟. Me de manu hoſtium &c.
Gloria Patri. &c. Laus tibi, &c,

Hymnus.

SAlve Horologium,
Quo retrogradiatur,
Sol in decem lineis,
Verbum incarnatur.
Homo ut ab inferis
Ad ſumma attolatur,
Immenſus ab Angelis
Paulò minoratur.
Solis hujus radix,
Maria coruſcat,

Con-

Confurgens Aurora,
In confpectu micat.
Lilium inter fpinas,
Quæ ferpentis conterat
Caput, pulchra ut Luna
Errantes colluftrat. Amen.

℣. Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens.
℟. Et quafi nebula texi omnem terram.
℣. Domina exaudi orationem meã.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
Oratio. ℣℣. & Refponforia, *ut fuprà.*

Ad Completorium.

℣. Convertat nos, Domina, tuis precibus placatus JESUS Chriftus filius tuus.
℟. Et divertat iram fuam à nobis.
℣. Domina in adjutorium &c.
℟. Me de manu hoftium &c.
Gloria Patri, &c. Laus tibi &c.

Hymnus.

SAlve Virgo florens,
Mater illibata, Regi-

Regina clementiæ,
Stellis coronata,
Supra omnes Angelos
Pura, immaculata,
Atque ad Regis dexteram
Stans veſte deaurata.
Per te Mater gratiæ,
Dulcis ſpes reorum,
Fulgens ſtella maris,
Portus naufragorum,
Patens cœli janua,
Salus infirmorum,
Videamus Regem
In aula Sanctorum. Amen.

℣. Oleum effuſum, Maria, nomen tuum.
℟. Servi tui dilexerunt te nimis.
℣. Domina exaudi orationem meã.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
Oratio, ℣℣. & Reſponſoria *ut ſuprà.*

Recommendatio.

SUpplices offerimus,
Tibi, Virgo pia,

Has Horas canonicas;
Fac, nos ut in via
Ducas cursu prospero,
Et in agonia,
Tu nobis assiste,
O dulcis MARIA. Amen.
Deo gratias.

Recitantibus sequentem Antiph: cum Orat. Paulus V. Pont. Max. 100. dierum Indulgentias concessit.

Antiph: Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.

℣. In conceptione tua, Virgo immaculata fuisti.

℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

Oratio. *Oremus.*

DEus, qui per immaculatam Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus, ut sicut ex morte ejusdem Filii tui prævisa, eam ab omni labe præservasti, ita nos quoque mun-

mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eumdem Dominum &c.

Officii hujus de immaculata Conceptione recitationem admodum placere B. Virgini, devoto suo famulo Alphonso Roderico è Soc. JESU ipsa revelavit. Ita P. Eusebius Nierenbergius in ejus vita.

Specialis formula eligendi B. V. in singularem Patronam quotidie renovanda.

SAncta Maria, Mater Dei, & Virgo, ego indignissimus famulus tuus te hodie in Dominam, Patronam, & Advocatam eligo, firmiterque statuo, ac propono, me nunquam te derelicturum, nec contra te aliquid unquam dicturum, aut facturum, neque permissurum, ut à meis subditis (vel sensibus) aliquid contra tuum honorem unquam agatur: ad hæc profiteor, tuam sanctam Conceptionem esse Im-

maculatam & à labe originalis peccati prorſus immunem, ob cujus defenſionem omnia tormenta, omniaque martyria libentiſſimè ſubirem: Obſecro te igitur, ſuſcipe me in ſervum perpetuum, adſis mihi in actionibus omnibus meis, nec me deſeras in hora mortis meæ. Amen.

Suppletio B. Virg. gratiſſima.

Nulla re meliùs compenſari defectus in ſervitio B. V, admiſſos quàm corde JESU, revelatum eſt S. Gertrud. l. 4. c. 53.

O JESU dulciſſime, per amorem, quo pro nobis ex puriſſima Virgine incarnari & naſci dignatus es, ut pauperum tuorum defectus ſuppleres, obſecro te, ut per dulciſſimum Cor tuum, virgineæ Matri tuæ ſupplere digneris omnes defectus, quos per negligentiam & ingratitudinem multipliciter admiſi in ſervitio & honore tam benignæ

Matris

Matris, cujus maternam clementiam in necessitatibus meis mihi semper fateor promptissimè adfuisse. Pro cujus condigna gratitudine, offer quæso illi, piissime JESU, dulcissimum Cor tuum, sicut est superabundans omni beatitudine: exhibens ei in eodem omnem affectum tuum divinum, quo eam ab æterno præ omni creatura gratuitò in Matrem elegisti, præservasti, creasti, omnibusque virtutibus & gratiis incomparabiliter decorasti, necnon omnem benignitatem, qua ei unquam blanditus es in terris, cùm te infantem in sinu suo foveret: omnemque fidelitatem, quam deinceps ei per omne tempus, quo cum hominibus conversatus es, filiali affectu exhibuisti, obediens ei in omnibus, sicut filius Matri, qui es gubernator cœli: & specialiter in hora mortis, dùm quasi proprii cruciatus oblitus, & ejus desolatione me-

medullitùs compassus, Custodem eidem & filium providisti: Et insuper affectum dignationis illius inæstimabilis, quo eam in die jucundissimæ Ascensionis suæ, super omnes choros Angelorum exaltasti, ac cœli terræque Dominam & Reginam constituisti. Sicque redde eam, bone JESU, mihi placabilem Matrem, ac in vita & morte mea piam Advocatam & Patronam. Amen.

Suspiria peccatoris ad Mariam.

MEmorare, o piissima virgo, non esse auditum à sæculo, quemquam ad tua currentem præsidia, aut tua implorantem suffragia à te derelictum. Ad hoc enim datus est tibi veniæ fons in Filium, ut omnibus gratia egentibus eam obtineas, & multitudinem peccatorum ac defectuum nostrorum operiat charitas tua copiosa. Igitur tali animatus fiducia ad te confugio, coram

ram te miser & immundus peccator consisto. Ah ne spernas me propter innumera, gravissimaque peccata mea, nec abjicias me propter nimiam immunditiam, & duritiam cordis mei. Tu scis, ò Maria, quàm profundè peccatis & vitiis immersus sim, quamque justè gravissimam Filii tui iram promeruerim. Ne excludas me, ò piissima, à gratia tua, quia post Deum tu maxima mea fiducia, tu unica & summa salutis meæ ratio. Tantam enim de te concepi fiduciam, quòd mihi in animum inducere nequeam, me posse perire, quamdiu te amo, tibique servio. O sacratissima Mater Dei & hominis, gaudium omnium Sanctorum, solamen omnium miserorum, refugium omnium pauperum, per illam suavitatem & delectationem ineffabilem, quam olim persensisti, dum in utero virginali incomprehensibilis Divinitas carnem ex te sumens

mens dignata est se humanæ naturæ counire: rogo, digneris causam meam in te suscipere, meque eidem Filio tuo dilectissimo reconciliare. Monstra ò Mater, ubera, quibus eum nutrivisti: ostende ipsi brachia quibus eum amplexata es: enumera illi omnes labores & dolores, quos pro eo sustinuisti, & tuum illud melitissimum cor, totum amoris igne flagrans illi exhibe, ut eum mihi reddas placabilem atque propitium. Eja Advocata mea fidelissima, illos misericordes oculos ad me indignissimum famulum tuum converte, & propter svavitatem delitiositatis illius ineffabilis, qua in transitu de hoc mundo ad cœli palatium, innixa delicatè supra dilectum tuum fruebaris, in hora mortis meæ mihi assistere digneris, atque in eadem hora terribili, sanctissimæ Trinitati pro me offerre merita placidissimarum dignitatum illarum, quibus in die Assumptionis tuæ supra omnem humanam & angelicam dignitatem præparata, ipsi summè complacuisti. Amen.

HEBDOMAS MARIANA.

DIE DOMINICA.

O Sancta Maria, benigna cœli Regina, Filia Dei Patris, Mater Dei Filii, Sponsa Spiritus sancti, totius Trinitatis nobile triclinium, à Patre electa, à Filio præservata, à Spiritu sancto dilecta, à Patre obumbrata, à Filio inhabitata, à Spiritu sancto omni gratia repleta. Per te, & propter te benedicat mihi Deus Pater, qui me creavit, benedicat Deus Filius, qui suo pretiosissimo sangvine me redemit, benedicat mihi Deus Spiritus sanctus, qui me in baptismo sanctificavit, totaque sanctissima Trinitas tua intercessione suscipiat animam meam in hora mortis meæ

O Sancta Maria, Regina clementiæ sub tuum præsidium ac defensionis clypeum confugio, sub tegmine

ne alarum, tuarum, maternæque protectionis, vivere, & mori volo.

O Sancta Maria, Mater pulchræ dilectionis, in hora mortis sis mea defensio, & firmum auxilium, ut confundantur, qui quærunt animam meam ad perdendum illam.

O Sancta Maria, dulcissima Virgo, nunc benedic mihi secundùm magnam misericordiam tuam, & in doloribus mortis conforta, & consolare me secundùm omnem benignitatem tuam.

O Sancta Maria, potens Advocata, concede mihi vivere in tua materna benedictione, ut sub tua virginea custodia feliciter moriar.

O Sancta Maria, vita & dulcedo mea, effunde super me spiritum gratiæ tuæ, suscipe me in tui amoris signum, & in mortis articulo benedicat mihi anima tua.

O Sancta Maria cœlestis gloriæ Regina, in superabundans & inexhau-

hauſtum mare tuarum gratiarum me demergo, inter brahia congenitæ tibi pietatis me projicio, in corde tuo habitare firmiter eligo, ibique feliciter mori opto.

O Sancta Maria, JESU & MARIA ſit ultima vox mea, ultima invocatio: mane mecum ò Maria, quando adveſperaſcet ad mortem, & inclinabitur dies vitæ meæ.

O Sancta Maria, Dei Genitrix Virgo, in hora mortis meæ fac me audire vocem tuam in voce exultationis & ſalutis, oſtende mihi faciem tuam, vos enim tua ſvavis, & facies tua decora.

O Sancta Maria, in hora mortis meæ Deo Patri me commenda, Deo Filio me reconcilia, Deo Spiritui ſancto me repræſenta, ut poſſim dicere: Benedicta ſit ſancta & individua Trinitas, quia fecit mecum miſericordiam ſuam. Amen.

DIE LUNÆ.

O Sancta Maria, Virgo virginum Mater Dei, & omnium, qui sunt in purgatorio, quæ animas illas tua præsentia sæpissimè consolaris, intercessione liberas, & divina largiente gratia ex igne afflictionis, & aqua tribulationis ad æternum ducis refrigerium: impetra mihi apud Filium tuum dilectum cor humile & contritum, intercede pro me, ut conscientia bona & pura finiam vitam meam.

O Sancta Maria, Mater divinæ gratiæ, utinam inveniam per te apud Deum misericordiam, & remissionem omnium meorum peccatorum in hora mortis meæ.

O Sancta Maria, omnium virtutum Mater, ora pro me, ut in gratia Dei semper vivens, feliciter tandem moriar.

O Sancta Maria, castissima Mater, unica post Deum mea fiducia, in qua

qua confido, ne derelinquas me Domina salutis meæ, ne irrideant me inimici mei, cùm angustiatus fuerit spiritus meus.

O Sancta Maria, Mater inviolata, nunc & in hora mortis sis spes mea, cùm defecerint dies mei & anni mei in gemitibus, quando dereliquerit me virtus mea, & lumen oculorum meorum non erit mecum, tunc exurge in adjutorium mihi.

O Sancta Maria, Mater intemerata, tuæ gratiæ plenitudo suppleat omnes defectus vitæ meæ, responde pro me, quando adhærebit lingva mea faucibus meis, & in pulverem mortis deducentur ossa mea.

O Sancta Maria, Mater amabilis, roga Filium tuum, ut cùm ipsi placuerit, educat de custodia animam meam ad confitendum nomini sancto suo, & in abundantia charitatis erga Deum & proximum ita

ingre-

ingrediar ſepulchrum, ſicut infertur acervus tritici in tempore ſuo...

O Sancta Maria, Mater admirabilis, dirige greſſus vitæ meæ in beneplacito dilecti Filii tui, ut merear bonis operibus ita abundare, ut, cùm in hora mortis defecero, recipiat me in æterna tabernacula.

O Sancta Maria, Mater Creatoris, dignare tua interceſſione ſic animam meam divinæ voluntati conformare, ut ad ultimum usque ſpiritum ſemper dicam: ſi vis, ut tranſeat anima mea, fiat voluntas tua.

O Sancta Maria, Mater Salvatoris, in hora mortis meæ dic, quòd mater mea ſis, ut bene ſit mihi, & vivat anima mea, propter te. Et ſi contigerit, ut mittar in carcerem illum ardoris, donec ſolvero univerſum debitum, deſcendat mecum miſericordia tua, quæ in flammis me refrigeret, in tormentis ſoletur, ut poſſim dicere: ſecundùm mul-

multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificant animam meam. Eja Mater tunc ad adjuvandum me feſtina, non dimittas Filium tuum, donec benedixerit mihi, & ideo univerſum debitum remittat mihi, quoniam rogaſti illum. Amen,

DIE MARTIS.

O Sancta Maria Regina Angelorum, quæ ſola digna fuiſti, præſalutata ab Angelo, eum concipere, cui omnes Angeli famulantur, cujus mandato Angeli cuſtodiunt nos in omnibus viis noſtris, ſolliciti ſemper de communi noſtra ſalute, ne unquam offendamus ad lapidem pedem noſtrum, donec introducant nos in locum, quem præparavit nobis Dominus. Jube ergo, ut Angelus meus curam mei habeat, ſollicitè cuſtodiat, hìc commorantem & hinc abeuntem, neque permittat famulum tuum in-

quinari, repræſentetque animam meam in lucem ſanctam, quam Deus olim Abrahæ promiſit, & ſemini ejus.

O Sancta Maria, digniſſima Virgo, anima mea te deſiderat, ad te anhelat, tuam cuſtodiam optat nunc & in hora mortis meæ, ut te ſine fine laudet, & ſine fine amet.

O Sancta Maria, Virgo prædicanda, tua pietas miſereatur mei, & benedicat mihi, illuminet vultum ſuum ſuper me, cùm anguſtiæ mihi undique fuerint, ne aſpectu formidabili me terreat inimicus meus.

O Sancta Maria, potentiſſima Virgo, ora quæſo, Deum meum, ut à me tollat, quidquid in me ipſi diſplicet: adjuva me certantem contra omnes hoſtiles nequitias in agone finis mei.

O Sancta Maria, benigniſſima Virgo, meum ſolamen & refugium in omnibus neceſſitatibus meis, in hora

hora mortis meæ ſis virtus & fortitudo mea à facie inimici.

O Sancta Maria, Virgo fidelis, quæ nullum reſpuis, ſed omnes aſpicis oculis clementiæ tuæ, in manus tuas commendo ſpiritum meum, quem redemit Filius tuus, qui eſt benedictus in ſæcula.

O Sancta Maria, ſpeculum juſtitiæ, ora, ut Filius tuus juſtus Judex, ultimum donum faciat remiſſionis ante diem rationis: inter oves locum præſtet, & ab hœdis me ſequeſtret; confutatis maledictis, vocet me cum benedictis.

O Sancta Maria, ſedes Sapientiæ, quæ ſemper in ore habuiſti ſermonem rectè ſonantem, intercede pro me, cùm animæ meæ migrandum erit ex hoc mundo, Deus ponat inimicos meos ſcabellum pedum tuorum.

O Sancta Maria, cauſa noſtræ lætitiæ, lætifica animam meam in

hora mortis meæ, & dic: hodie mecum eris in paradiſo, hodie in domum Domini ibimus, lætabimur in ea, gaudium noſtrum nemo tollet à nobis.

O Sancta Maria, Vas ſpirituale, effice me tua interceſſione vas electionis, ut cor meum jugiter portet nomen JESU Filii tui, ne fiam in hora mortis meæ vas contumeliæ, vas iræ & indignationis, Amen.

DIE MERCURII.

O Sancta Maria, gratia plena, Dominus tecum, qui fuit priùs tecum ſanctificatione, quàm corpore. Benedicta ſit hora incarnationis Filii Dei, benedictus & ſanctificatus dies, qui illuxit nobis, quando ambulaverunt gentes in lumine ſuo. Benedicti anni pueri JESU & benedicta momenta illa, quibus proficiebat gratia, ſpiritu, & ſapientia apud Deum & homines. Benedicta infantia ejus, qua ſubditus erat

tibi

tibi & Joseph, obediendo homini propter hominis inobedientiam erga Deum. Ora pro me Filium tuum, ut in hora mortis meæ non sit mihi severus judex, sed amabilis infans, qui cùm non sit dedignatus, in præsepio inter jumenta decumbere, ne me respuat; qui ut jumentum factus sum apud illum.

O SanctaMaria, Vas honorabile, utinam per gratiam tuam fiam vas in honorem & laudem Dei.

O Sancta Maria, Vas insigne devotionis, ora, ut in odorem nominis JESU curram, & ad hujus fragrantiam mihi occurrant Angelici Spiritus, qui diligunt te.

O Sancta Maria, Rosa mystica, quæso te, in ultima hora mortis meæ converte in rosas sentes veprium conscientiæ meæ: vulnerata sit tamen spinis doloris & contritionis (te pungente) anima mea, ut illuc deveniat, ubi rosa non pungit,

& dilectus tuus pascitur inter lilia: quamdiu durat dies felicis æternitatis.

O Sancta Maria, Turris Davidica, in conturbatione & pavore mortis sis mihi turris fortitudinis à facie inimici: sis mihi murus, & ubera tua sint pro turri; ut pacem reperiam, & requiescam in die tribulationis.

O Sancta Maria, Turris Eburnea, rosa in conceptione candida & immaculata sis refugium meum, absterge mœrores animæ meæ, cùm in felle amaritudinis erit spiritus meus.

O Sancta Maria, Domus aurea, elegi abjectus esse in domo tua, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum, fac me sicut unum ex mercenariis tuis, ut in me abundent panes gratiæ tuæ, quibus in fine vitæ meæ merear frui illo pane Angelico, in cujus fortitudine ambulem

bulem usque ad montem Dei.

O Sancta Maria, Fœderis Arca, ora pro me, ut in hora mortis meæ Angelus meus cum clamore valido dicat Filio tuo: exurge in adjutorium mihi, tu & arca ſanctificationis tuæ, ut arceantur omnes, qui cogitant mala, duc in requiem tuam hanc animam, cujus curam me habere voluiſti.

O Sancta Maria, Stella Mututina, quæ nunquam ſciviſti occaſum culpæ, in hora illa extrema illumina me claritate vultus tui, & defixis in me illis tuis miſericordiæ oculis repelle à me principem tenebrarum.

O Sancta Maria, Salus infirmorum Miſerere mei Filia David, cùm anima mea malè à dæmone vexabitur, & famulus tuus jacebit in lecto, & malè à doloribus torquebitur, fac ò clementiſſima Mater, ut Filius tuus mihi dicat: Salus tua ego ſum, Amen.

DIE JOVIS.

O Sancta Maria, terra benedicta, ex qua ortum est frumentum Electorum, & vinum germinans Virgines: vera mensa propositionis illius panis, qui de cælo descendit, habens in se omne delectamentum suavitatis. Effice tua intercessione, ut salutari hoc reficiar cibo, cùm defecerit virtus mea, ut in illius fortitudine ambulem, ubi Beati non ampliùs esuriunt, nec cadit super illos miseriæ æstus.

O Sancta Maria, Refugium peccatorum, ad te confugio, ne obliviscaris mei, cùm positus fuero in extremo conflictu, tunc super corpus meum, & meam animam tuæ potentiæ ostende virtutem, ut ope misericordiæ tuæ adjutus, deletis omnibus iniquitatibus meis, non delear de libro viventium.

O Sancta Maria, Consolatrix afflictorum, consolantem me quæsivi

in ho-

in hora mortis meæ, & non inveni, qui me conciliet Filio tuo, niſi te piiſſima Mater, nam Filius tuus nihil negans te honorat. Cùm igitur anima mea cœperit pavere & tœdere, & mœſta eſſe, quoniam circumdant eam dolores mortis, ad conſolationem meam oſtende mihi fructum ventris tui.

O Sancta Maria, Auxilium Chriſtianorum, in hora mortis meæ impetra mihi, ut verus Chriſtianus in fide Catholica Apoſtolica Romana moriar, ut miles Chriſti fortiter pugnem contra adverſarios meos, & tunc exurge in adjutorium mihi, quia venit tempus & hora mea, ut transeam de hoc mundo.

O Sancta Maria, Angelorum Regina, in hora mortis meæ ſuccurrant mihi Angeli Dei, ſuſcipientes animam meam, præſentantes eam in conſpectu Altiſſimi. Præcedat me ſignifer ſanctus Michaël, & ad tri-

bunal justi Judicis expectet me misericordia tua, quæ me defendat, placabilemque reddat dulcissimum JESUM meum, ut non peream in tremendo judicio.

O Sancta Maria, Patriarcharum Regina, fructus benedictus Joachim & Annæ, benedictus fructus ventris tui dulcis JESUS. Ora pro me, ut promissum Abrahæ regnum mihi adveniat in hora mortis meæ.

O Sancta Maria, Apostolorum Regina, sicut dilectus Filius tuus te commendavit discipulo dilecto dicens: *Fili, ecce Mater tua*, sic commenda in hora mortis meæ animam meam Filio tuo dicens: *Ecce Fili anima tua*, quam tuo pretioso sangvine redemisti.

O Sancta Maria, Regina Martyrum, excita in me perenne desiderium fundendi sangvinem meum propter amorem & Fidem Fili tui, ut in hora mortis meæ patientia

Marty-

Martyrum munitus, si consistant contra me castra, non pertimescam: tunc, rogo, doce manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

O Sancta Maria, Regina Confessorum, impetra mihi donum perseverantiæ, ne mittens manum ad aratrum retrospiciam, & non sim aptus regno Dei. Ergo in hora mortis meæ impetra mihi, ut ad promissa Filii tui incessanter currens, merear accipere bravium gloriæ.

O Sancta Maria; Regina Virginum, qualem nec primam similem vidit natura, nec habuit sequentem: ora Deum meum, ut lacrymæ meæ sint mihi panes die ac nocte, ne Filius tuus mihi januam cœli claudens dicat, nescio te, sed potiùs, intra in gaudium Domini tui. Amē.

DIE VENERIS.

O Sancta Maria, plus quàm Martyr, per illum dolorem,

quem ſuſtinuiſti, quando gladius crucis pertranſivit animam tuam, cùm pro me peccatore vidiſti innocentem Filium tuum morientem, qui priùs te Joanni, animam verò ſuam, in manus Patris commendavit. Quæſo commenda me in manus Filii tui, ut me abſcondat inter vulnera ſua, ſicque anima mea illius ſangvine dealbata, & inter vulnera ipſiuś tuta audiat: hodie mecum eris in Paradiſo.

O Sancta Maria, Regina Sanctorum omnium, intercede pro me, ut in plenitudine perfectionis ſtatus mei, in quo poſitus ſum, vivam & moriar, ora, ut in hora mortis meæ in plenitudine Sanctorum ſit detentio mea.

O Sancta Maria, Regina gloriæ, de qua glorioſa dicta ſunt, & gloriæ tuæ non eſt finis, reſpice me inglorium peccatorem, ne ſine dolore tui offenſi Filii moriens amittam gloriam ſempiternam. O

O Sancta Maria, ſub tuum conſugio præſidium, indignas deprecationes meas ne deſpicias, ſed à periculis cunctis, ne cuncteris me liberare in hora mortis meæ.

O Sancta Maria, Mater ſalutis noſtræ, cùm anima mea, & cor meum in hora mortis clamaverint, ſalva nos, perimus; ſurgat Filius tuus crucifixus, & imperet mari afflictionum, ventis tentationum, ut fiat tranquillitas magna, qua deducar in portum felicitatis æternæ.

O Sancta Maria, gratia plena & ſupereffluens, ſeriò ſit tibi commendata cauſa ſalutis meæ, miſeramque animam meam de corpore exeuntem ſic Filio tuo exhibe, ut placeat in conſpectu Principis gloriæ.

O Sancta Maria, miſericordiæ Mater, Regina clementiæ, deſcendat in animam meam tua virginea miſeratio, ut dulceſcant amaritudines cordis mei, cùm timuero in die mor-

mortis, ſciens, quia iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum.

O Sancta Maria, mea apud Deum maxima patrona, illos tuos miſericordes oculos ad me converte, & cor tuum miſericordiæ plenum in fine dierum meorum ne longè facias à me.

O Sancta Maria, ad te clamo, ad te ſuſpiro, te deſidero, te totis medullis cordiũ concupiſco, anima mea te deſiderat in nocte mortis meæ, ut te ductrice inveniat dilectum ſuum in meridie gloriæ, cum ipſo moretur, quamdiu durabit dies æternitatis beatæ.

O Sancta Maria, tibi dicit cor meum, & loquitur in exceſſu dilectionis tuæ, ſiicat miſericordiam tuam, qui te in neceſſitatibus invocatam non invenerit advocatam, conſidera, quia tibi derelicta eſt paupercula anima mea, ut ſis illi adjutrix in illo momento, à quo pendet æter-

æternitas, ne Filii tui, (qui me quæsivit lassus, redemit Crucem passus) tantus labor pro me sit cassus.

DIE SABBATI.

O Sancta Maria, vera lux, quæ separata fuisti à tenebris, vera septima dies, quæ cœpisti à mane originalis justitiæ, & nunquam fuisti terminata vespere alicujus peccati. O felix Maria, qui creavit te, requievit in tabernaculo uteri tui. Ora dilectum Filium, ut, cùm defecerint dies mei, recipiat me in æterna tabernacula.

O Sancta Maria, Mater Dei, sicut ex ulnis Simeonis in templo Filium tuum præsentatum iterum recepisti, ita me tua intercessione in hora mortis meæ recipiat Filius tuus, qui sacratissima sua Cruce me redemit.

O Sancta Maria, sicut mater consolatur Filium suum, ita fer mihi opem super lectum doloris mei, &

licet non ſim dignus, ut intret ſub tectum cordis mei Filius tuus, roga tamen eum, ut deſcendat cum gratia, & ſanet animam meam.

O Sancta Maria, dulciſſima Virgo, quemadmodum in hora mortis tuæ anima tua liquefacta fuit, cùm ad cor tuum dilectus locutus eſt dicens, *Veni dilecta mea, Columba mea*, intra in gaudium Filii tui; ſic ora, ut JESUS Chriſtus Redemptor meus in agone meo non me deſerat, ita ut pro æterna gloria fortiter dimicans, audire merear: *Veni coronaberis.*

O Sancta Maria, benigna cœli Regina, ſicut Filius tuus in Cruce pendens Dominam ſervo, Matrem diſcipulo commendavit, dicens: *Mulier, ecce Filius tuus*, & ex illa hora te Joannes accepit in ſuam Matrem, ſic in hora mortis meæ commenda me Filio tuo, ut ſuſcipiat me in ſervum, & cuſtodiat Angelus

gelus Domini animam meam, iterùm ad ſuum Creatorem revertentem.

O Sancta Maria, quemadmodum cœleſtis Pater, cùm Filius ejus factus homo ex te naſceretur, eundem tibi commendavit, ut curam illius ageres, eodem modo commendo tibi corpus & animam meam, cùm diſceſſurus ſum ex hoc mundo.

O Sancta Maria, ſicut ſacratiſſima Trinitas puriſſimum Spiritum tuum è corpore exeuntem cum gaudio totius curiæ cœleſtis excepit, ita etiam Deus meus tua interceſſione ſuſcipiat animam meam, Pater, qui eam crevit, Filius, qui eam redemit, Spiritus ſanctus, qui eam per Baptiſmum ſanctificavit. O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo Maria.

O Sancta Maria, dulcedo animæ meæ, gratiarum fons & puteus aquarum viventium, viſceribus tuæ

pieta-

pietatis commendo nunc & in hora mortis meæ totum cor meum; in tua confido & spero misericordia, & cùm cor meum me dereliquerit, defecerit virtus mea, dies mei erunt in gemitibus, fer mihi auxilium de sancto, & de Sion tuere me, esto mihi turris fortitudinis à facie inimici.

O Sancta Maria, gloriosissima Filia Principis gloriæ, quæ in cœlo amicta lumine, sicut vestimento totum cœlum illustras, æterno Patri me præsenta, Filio tuo me reconcilia, Spiritum sanctum pro me exora, ne permittas me, ò pia Mater, separari à te, ab hoste maligno defende me & in hora mortis suscipe me.

O Sancta Maria, gloriosissima Virgo, amantissima Christi Mater, corpus & animam meam, vitam & spiritum, cor & membra, ac omnes sensus & vires meas, cùm adhæ-

adhæſerit faucibus meis lingva mea, & in pulverem mortis deducendus ero, commendo Filio tuo, ut ſuſcipiat ultimum meum ſuſpirium, quo cum corde & animo contrito dicturus ſum, JESUS, MARIA, JOSEPH.

BENEDICTIO ANTE ET gratiarum actio poſt Menſam.

)(*Notandum imprimis eſt, quòd littera S. Seniorem. H. Hebdomadarium. ℟. Chorum. L. Lectorem, aſteriſcus* ✳ *par ſam donotent.*

Ante prandium S. dicit: Benedicite. ℟. Benedicite. S. Oculi omnium.

℟. In te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno.

✳ Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

✳ Glo-

✱ Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. ✱ Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

H. Kyrie eleiſon. ℟. Chriſte eleiſon.

H. Kyrie eleiſon, Pater noſter. *ſecretò.*

H. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. H. Oremus.

BEne † dic Domine nos, & hæc tua dona, quæ de tua largitate ſumus ſumpturi. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

L. Jube domne benedicere. S. Menſæ cœleſtis participes faciat nos Rex æternæ gloriæ. ℟. Amen.

Poſt prandium L. dicit. Tu autem Domine miſerere nobis.

℟. Deo gratias. S. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.

℟. Et Sancti tui benedicant tibi.

S. Gloria Patri. &c.

℟. Si-

℟. Sicut erat. H. *absolutè dicit.*

AGimus tibi gratias omnipotens Deus pro universis beneficiis tuis Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalmus 50. Miserere. *vel Psalmus* 116.

LAudate Dominum omnes Gentes: * laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: * & veritas Domini manet in æternum. *In fine Gloria cum pausa solitò.*

H. Kyrie eleison. ℟. Christe eleison. H. Kyrie eleison. Pater noster *secretò.*

H. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.

H. Dispersit, dedit pauperibus.

℟. Justitia ejus manet in sæculum sæculi.

H. Benedicam Dominum in omni tempore.

℟. Sem-

℟. Semper laus ejus in ore meo.
H. In Domino laudabitur anima mea.
℟. Audiant manſveti & lætentur.
H. Magnificate Dominum mecum.
℟. Et exaltemus nomen ejus in idipſum.
H. Sit nomen Domini benedictũ.
℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum. *Deinde H. abſolutè dicit.*

Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum, vitam æternam. Amen.

H. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.
H. Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace.
℟. Amen. Pater noſter. *totum ſecretò: Deinde S.* Deus det nobis ſuam pacem. ℟. Amen.

Ante cœnam, S. Benedicite ℟. Benedicite. S. Edent pauperes.
℟. Et ſaturabuntur, & laudabunt Domi-

Dominum, qui requirunt eum: vivent corda eorum in sæculum sæculi. Gloria. Kyrie eleison. &c. *ut suprà ad prandium.*

L. Jube domne benedicere.

S. Ad cœnam vitæ æternæ perducat nos Rex æternæ gloriæ.

℟. Amen.

Post cœnam L. *dicit*. Tu autem &c.

℟. Deo gratias.

S. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus.

℟. Escam dedit timentibus se.

S. Gloria. ℟. Sicut erat. &c.

Deinde H. *absolutè*. Benedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis: Qui vivit & regnat in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalm. Laudate Dominum omnes Gentes &c. *reliqua ut suprà post prandium.*

Quando semel comeditur, omnia dicun-

dicuntur ut in cœna, ut suprà.

Notanda variatio versuum. Oculi omnium. & Edent pauperes. & *Psalm.* Miserere. *Quorum loco ponuntur aut alii pro diversitate temporis modo sequenti.*

In Nativitate Domini, usque ad cœnam Vigiliæ Epiphaniæ exclusivè loco ℣℣. Oculi. & Edent pauperes. *dicit.* S. Verbum caro factum est, alleluja.

℟. Et habitavit in nobis, alleluja. S. Gloria Patri. &c. *ut suprà. In fine loco Vers.* Confiteantur & Memoriam. S. *dicit.* Notum fecit Dominus, alleluja.

℟. Salutare suum, alleluja.

S. Gloria &c. ℟. Sicut erat &c. *alia ut suprà; Psalmus sequens loco* Miserere. *inchoatus ab Hebd. dicitur alternatim.*

Psalmus 97.

CAntate Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salva-

Salvavit sibi dextera ejus, * & brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: * in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ, * & veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ: * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo omnis terra: * cantate, & exultate, & psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara & voce psalmi: * in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu Regis Domini: * moveatur mare, & plenitudo ejus; orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt à conspectu Domini: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, * & populos in æquitate.

Gloria Patri. *Vel Psal.* Laudate Dominum omnes Gentes. *ut suprà,* 251. *qui Psalmus semper ad beneplacitum dici potest, etiam in aliis solemnitatibus.*

In Epiphania, & per Octavam. *Ante prandium S. dicit* ℣.

Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, alleluja.

℟. Reges Arabum & Saba dona adducent, alleluja. Gloria &c. *ut suprà. In fine.* S. Omnes de Saba venient, alleluja.

℟. Aurum & thus deferentes, alleluja. S. Gloria &c. ℟. Sicut erat. *Loco.* Miserere.

Psalmus. 71.

DEus judicium tuum regi da: * & justitiam tuam filio regis.

Judicare populum tuum in justitia, * & pauperes tuos in judicio.

Suscipiant montes pacem populo, * & colles justitiam.

Judicabit pauperes populi, & salvos

vos faciet filios pauperum : * & humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum sole, & ante lunam, * in generatione & generationem.

Descendet sicut pluvia in vellus : * & sicut stillicidia stillantia super terram.

Orietur in diebus ejus justitia, & abũdantia pacis: * donec auferatur luna.

Et dominabitur à mari usque ad mare: * & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Æthiopes : * & inimici ejus terram lingent.

Reges Tharsis & insulæ munera offerent : * Reges Arabum & Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes reges terræ: * omnes gentes servient ei.

Quia liberabit pauperem à potente : * & pauperem, cui non erat adjutor.

Parcet pauperi & inopi : * & animam pauperum salvas faciet. Ex

Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum : * & honorabile nomen eorum coram illo.

Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper : * tota die benedicent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus : * & florebunt de civitate sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sæcula : * ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : * omnes gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Israël : * qui facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum : * & replebitur majestate ejus omnis terra : fiat, fiat. Gloria Patri.

)(*In Cœna Domini nihil aliud dici-*

dicitur, quàm ea, quæ hic assignantur. S. *absolutè dicit.* Christus factus est. ℟. Pro nobis obediens usque ad mortem. *Deinde dicto.* Pater noster. *toto secretò* S. *signo crucis benedicit mensam, nihil dicens* L. *non dicit.* Jube domne. *neque* Tu autem, *neque legit Martyrologium vesperi. In fine* S. *repetit:* Christus factus est. *ut suprà. deinde dicto* Pater noster. *toto secretò, dicitur alternatim Psalm.* Miserere *sine* Gloria. *sed immediatè, & absolutè subjungit* S.

RESpice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster JESUS Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. *& secretò dicitur:* Qui tecum vivit & regnat in unitate *&c. dictoque* Pater noster. *toto secretò, non additur* Deus det nobis, &c.

In Parasceve idem fit, quod in Cœna Domini, sed ad ℣. Chri-

Christus factus est &c. *additur* Mortem autem Crucis.

)(*Sabbato sancto S. dicit:* Benedicite, ℟. Benedicite. S. Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, alleluja. ℟. Venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum, alleluja. * Gloria Patri, &c *omnia ut in prima benedictione. L. dicit* Jube domne &c Tu autem. *Legitque Vesperi Martyrolog.*

In fine repetitur: Vespere autem. *ut suprà; reliqua ut in prima gratiarum actione post cœnam. Psalmus.* Laudate Dominum omnes Gentes. *ibid.*

In die Paschæ usque ad cœnam sequentis Sabbati exclusivè pro Oculi omnium. *dicit S.* Hæc dies quã fecit Dominus, alleluja. ℟. Exultemus, & lætemur in ea, alleluja. * Gloria Patri, &c. *Et deinceps omnia dicuntur, ut suprà in prima*

bene-

benedictione præter sequentia propria.
In fine S. repetit. Hæc dies. *&c. ut suprà. S.* Gloria. *&c. & loco* Miserere. *dicitur.*

Psalmus 117.

CONfitemini Domino, quoniam bonus: * quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israël quoniam bonus: * quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc domus Aaron: * quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant nunc qui timent Dominum: * quoniam in sæculum misericordia ejus.

De tribulatione invocavi Dominum * & exaudivit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adjutor: * non timebo quod faciat mihi homo.

Dominus mihi adjutor: * & ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino: *

no, * quàm confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino, * quàm sperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me: * & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

Circumdantes circumdederunt me: * & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: * & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

Impulsus eversus sum ut caderem: * & Dominus suscepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: * & factus est mihi in salutem.

Vox exultationis & salutis, * in tabernaculis justorum,

Dextera Domini fecit virtutem dextera Domini exaltavit me, * dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, sed vivam: * & narrabo opera Domini. Ca-

Castigans castigavit me Dominus: * & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: * hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: * & factus es mihi in salutem.

Lapidem quem reprobaverunt ædificantes: * hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud: * & est mirabile in oculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dominus: * exultemus, & lætemur in ea.

O Domine salvum me fac, ò Domine benè prosperare: * benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini: * Deus Dominus, & illuxit nobis.

Constituite diem solemnem in con-

condensis: * usque ad cornu altaris

Deus meus es tu, & confitebor tibi: * Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me: * & factus es mihi in salutem.

Confitemini Domino quoniam bonus: * quoniam in sæculum misericordia ejus.

Gloria Patri.

In Ascensione Domini usque ad Vigiliam Pentecostes exclusivè ante prandium, & cœnam Versus. Ascendit Deus in jubilatione, alleluja.

℞. Et Dominus in voce tubæ, alleluja. Gloria &c. *In fine Versus.* Ascendens Christus in altum, allel.

℞. Captivam duxit captivitatem, alleluja. Gloria, &c. & *pro Psalm.* Miserere. *dicitur.*

Psalmus 46.

OMnes Gentes plaudite manibus: * jubilate Deo in voce exultationis. Quo-

Quoniam Dominus excelsus terribilis: * Rex magnus super omnem terram.

Subjecit populos nobis; * & gentes sub pedibus nostris.

Elegit nobis hæreditatem suam, * speciem Jacob, quam dilexit.

Ascendit Deus in jubilo, * & Dominus in voce tubæ.

Psallite Deo nostro, psallite: * psallite Regi nostro, psallite.

Quoniam Rex omnis terræ Deus: * psallite sapienter.

Regnabit Deus super gentes, * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: * quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.

Gloria Patri. *vel Psal.* Laudate Dominum omnes Gentes. 251.

In Vigilia Pentecostes inclusivè, usque ad cœnam Sabbati sequentis exclu-

exclusivè dicit S. ℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluja.
℟. Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, alleluja. Gloria *&c. In fine S.* Repleti sunt omnes Spiritu sancto, alleluja. ℟. Et cœperunt loqui, alleluja. Gloria Patri, &c.

Psalmus 47.

MAgnus Dominus, & laudabilis nimis: * in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, * latera Aquilonis, civitas Regis magni.

Deus in domibus ejus cognoscetur, * cum suscipiet eam.

Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: * convenerunt in unum.

Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: * tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis, * in spi-

ſpiritu vehementi, conteres naves Tharſis.

Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri: * Deus fundavit eam in æternum.

Suſcepimus Deus miſericordiam tuam, * in medio templi tui.

Secundùm nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ, * juſtitia plena eſt dextera tua.

Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Judæ, * propter judicia tua Domine.

Circumdate Sion, & complectimini eam: * narrate in turribus ejus.

Ponite corda veſtra in virtute ejus: * & diſtribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic eſt Deus, Deus noſter in æternum, & in ſæculum ſæculi: * ipſe reget nos in ſæcula.

Gloria Patri, &c. *vel Pſal.* Laudate Dominum omnes Gentes. 251.

TESTAMENTUM ANIMÆ.

Aliquoties in Anno maximo cum fructu frequentandum.

In nomine SS. Trinitatis. Amen.

QUoniam ego miserrimus peccator de morte mea certissimus, at de hora ejus incertissimus sum; hinc modò, dum mihi adhuc optimè præsens sum, coram te, ò beatissima Trinitas! ultimam voluntatem meam, qualiter vivere, & mori cupiam, declarabo, super qua, ne unquam immutari queat, Testamentum hoc, quod usque in æternum sit irrefragibile, condam & erigam.

Primò. In optima forma, modoque efficacissimo lego, adscribo, & integrè trado tibi, ò SS. Trinitas, corpus, animam, & omnia opera mea, quæ toto vitæ decursu operatus sum; summasque, & immortales ago tibi gratias, quod me bonis

infi-

infinitis in corpore & anima, in particulari & universali affeceris: ob quæ fateor, quòd tu solus in me potestatem habeas; teque solum, & nullum alium extra te Dominum agnoscam.

2. Omnia bona, omnesque gratias tam spirituales, quam corporales, omnes tibi Domino Deo meo soli adscribo, fateorque, quòd ex abyssali tua benignitate infinities plus bona mihi præstiteris, quàm promeritus sum, ob quod infinitas nunc, & in æternum tibi gratias, & laudes decantabo.

3. Veram Fidem, omnesque ac singulos ejusdem Articulos firmiter credo, ac profiteor, sicut sancta Catholica Ecclesia Romana eosdem credit, ac profitetur; perderemque mallem vitam, & sangvinem, quàm vel unicum veræ Fidei Articulum abnegare; quòd si fortè in morte mea diabolico instinctu quidquam

huic sacræ Fidei contrarium cogitarem, dicerem, aut facerem, id modò irrito, atque invalido; quod, ne fiat, commendo eandem tuæ Omnipotentiæ, Sapientiæ, atque Bonitati, Deus meus! ut in hora mortis meæ integra atque perfecta inveniatur.

4. Omnia & singula peccata mea quocunque modo, aut tempore perpetrata detestor, & abominor, de iisque ex mero tui, ò piissime Deus amore vehementissimè doleo, milliesque plùs dolere desidero: & in suppletionem doloris illius, qui mihi deest, offero tibi contritionem illam, quam omnes verè pœnitentes unquam habuerunt, cum voluntate absoluta, te nunquàm ampliùs offendendi; & ut pro gravissimis à me tibi irrogatis injuriis aliqualiter saltem tibi satisfaciam, paratum me exhibeo, quamcunque de me vindictam sumere volueris, cum

tua

tua gratia libentiſſimè ſuſtinere.

5. Quoniam verò omnis mea ſatisfactio omninò inſufficiens eſt, hinc ad infinitum JESU Chriſti meritorum theſaurum confugio, & offero tibi omnem ipſius SS. Vitam, Paſſionem, ac mortem; atque in ejuſdem ſacratiſſima vulnera immergo, & abſcondo omnia mea peccata, rogans, ut pretioſiſſimo ejus ſangvine omnes maculas meas eluere, igneque charitatis ejus conflagrare digneris.

6. Ab omnibus & ſingulis, quos verbo aut facto unquam offendi, humiliter veniam precor, paratuſque ſum illis omne damnum honoris ac bonorum juxta menſuram juſtitiæ compenſare; omnibus verò, qui me offenderunt, ex animo remitto omnem injuriám & vindictam, ſicut Chriſtus in Cruce inimicis ſuis ignovit, pro iisque Patrem ſuum exoravit.

7. Agnosco, & profiteor, me per propria merita cœlum adipisci non posse, unde nec in ipsis, sed in infinita misericordia tua, in meritis, & passione Christi Salvatoris nostri, in beatissimæ V. Sanctorumque intercessione ac patrocinio confido; hisque tam firmiter innitor, ut nunquã mihi imaginari queam, me æternaliter periturum, ut qui sciam, misericordiam tuam in infinitum transcendere, passionemque Filii tui sine mensura præponderare omnibus peccatis meis.

8. Me ipsum totum, cum omnibus, quæ sum, & possum, integerrimè committo, & resigno tuæ SS. voluntati, orans, optans, ut illa de me, per me, & circa me, tam in tempore, quàm in æternitate, tam in vita, quam in morte perfectissimo modo adimpleatur.

9. Amo te Deus meus, Amor meus! & in æternum amare cupio, quia

quia propter summam perfectionem & bonitatem tuam omni amore dignissimus es: & utinam te millies plus amare possem! imó si omnium hominum & Angelorum corda & affectus haberem, libentissimè illa in tui amorem converterem. Quoniam verò ut par est, te amare nequeo, rogo te, ut temetipsum pro me tali amore, quali dignus es, amare velis

10. Demum protestor, quòd ut verus Catholicus mori, atque SS. Confessionis, Communionis, & Extremæ Unctionis Sacramentis communiri desiderem; Cupio etiam & exopto omnium Missarum, Orationum, & suffragiorum, quæ usque ad diem Judicii fient, particeps fieri: rogans te vel maximè, ò Christe JESU! ut temetipsum Patri tuo in holocaustum, & juge sacrificium pro innumeris peccatis meis offeras, animæque meæ in extremo illo

mortis agone unicam ſangvinis tui guttam provenire concedas.

11. Nunc igitur ò SS. Trinitas! coram te, atque tota cœli curia profiteor atque proteſtor, id omne, quod in hoc Teſtamento continetur, eſſe ultimam, ſinceramque meam voluntatem, ac ſententiam, juxta quàm vivere, atque mori deſiderem; voloque, ut hoc meum Teſtamentum tam ante, quàm in, & poſt mortem meam in ſuo robore & valore permaneat: & ut coram Deo & hominibus notum ſit, ad quem ſecundùm corpus & animam pertineam, quomodo vivere, & mori cupiam, propria mea manu, mihi optimè præſens, plenaque cum libertate me ſubſcribens, rata habeo omnia prædicta. Ego NN. Indigniſſima Dei Creatura.

INVITATIO B. VIRGINIS ad ſuum obitum.

SAcratiſſima V. MARIA, in illo

amore & fidelitate, qua Filius tuus in Cruce pendens te Joanni commendavit, commendo tibi animam & corpus meum, cogitationes, verba & opera mea vitam & mortem meam, maximè autem extremum illud vitæ meæ momentum, à quo pendet æternitas. Et ficut tu ad beatum tuum tranfitum Filium tuum invitafti, ita & ego ad tranfitum meum te invito: rogans per amorem illum, quo Filio tuo morienti aftitifti, perque amaras lachrymas, quas fudifti, quando eum inclinato capite amariffimè expirantem vidifti, ut & mihi materna benignitate tua affiftere, & nequaquam emanere velis: quia fine te nequaquam piè mori me poffe confido. Ne deneges mihi, ò Mater benigniffima, petitionem hanc meam, quam à te devotiffimo corde depofco, quia, fi fine te moriar, non immeritò vereor, ne æternaliter

peream. Quomodò enim ego pauperculus & fragilis nimis in tam multiplicibus, graviſſimisque hoſtium inſultibus ſubſiſtam, niſi mihi adfueris? Quomodò in diſtrictiſſimo illo judicio divino comparebo, niſi te mihi comitem & advocatam exhibueris; Quomodò de peccatis meis innumeris, & omnem enormitatem ſuperantibus rationem reddam, niſi tu illa apud Filium tuum excuſes, eorumque mihi veniam impetres. Inclina igitur aurem tuam precibus meis, ò Beatiſſima, & ob amorem dilecti Filii in extremis mihi aſſiſte, ut ſub tua protectione graviſſimis illis periculis erutus, ad cœleſtia gaudia tecum pervenire valeam.

DOCUMENTA

Pro Religioſis & Sacerdotibus Ludov. Bloſii Abbatis.

I. IN omnibus, quæ agis, tractas, aut loqueris, honorem Dei

per

per ſanctam intentionem purè quære, & cuſtodiendæ cordis mundiliei libertatique invigila.

II. Plena fiducia te totum & omnia tua Deo committe, ita ut ejus voluntas, æternaque diſpoſitio ſit tibi ſemper pro ſummo ſolatio. Et ſive in tenebris, ſive in lumine, ſive in tribulatione, ſive in proſperitatis ſucceſſu, ſive in cordis anguſtia, ſive in cordis latitudine, ſive in donis pauperem, ſive in eiſdem divitem te eſſe voluerit, rectè de bonitate ejus ſentias: Et gravia ac moleſta quæque de manu pietatis atque providentiæ illius, humiliter patienter, vel etiam hilariter ſuſcipias: certò credens, eum omnia pro tua ſalute ordinare, uniceque optans, ut ipſa voluntas ejus omni tempore in te perficiatur.

III. Ea, quæ nulla ratione in te, vel aliis, corrigere potes, Deo commenda, longanimiter expectans,

donec ille aliter de his, quæ tibi malè habere videntur, disponat.

IV. Injuriam seu contumeliam tibi illatam, si cum lætitia nondum ferre potes, non tamen propter illam insipienter perturberis, neque ira excandescas, sed tranquillus permanere stude: Nam indigniora pro te Deus tuus mansvetissimè toleravit. Ergo in talibus ferocientem animi impetum religa & reprime, Deumque, qui te justè quidem, sed saltem ex amore, affligi permittit, magis, quàm hominem, qui te affligit, attende.

V. Alterius voluntatem potiùs quàm tuam facere ama, & judicio alterius tuum judicium facilè submitte, proprio sensui nunquam protervè inhærens, neque aliud sanctæ obedientiæ præponens.

VI. Nunquam alicui te præferas, nunquam aliquem contemnas; Omnium vilissimum, indignissimum-

que te esse existima; omnibus te subjice, omnibus propter Deum servire desidera; Et eos, qui te monent, aut reprehendunt, etiamsi inferiores videantur, æquanimiter audi, magis eligens culpam humiliter agnoscere, quàm contentiosè ac superbè teipsum excusare.

VII. Tam libenter esto minimus, quàm libenter fortè aliquis alius esset maximus. Et abjectus, non autem honorabilis haberi concupisce, ut Christo sacræque ejus Genitrici Mariæ, similis appareas.

VIII. Alicui placere vanè non affectes, neque displicere inaniter pertimescas Et hominum, maximè mulierum, notitiam, familiaritatem aut singularem erga te dilectionem, ne expetas.

IX. Aliorum dicta, vel facta tu temerè neque judices, neque discutias, & superfluis curis te non implices, verbaque detractoria lo-

qui, aut etiam audire, quantùm potes, caveas.

X. Benignum & affabilem omnibus te præbe, de aliorum bonis, ſicut de propriis gaude, & pro aliorum malis ingemiſce, omnes ſincera charitate diligens, neminem, quantumvis etiam moleſtum, odio habens, de nullius ſalute deſperans, & imperfectis quibusque piam compaſſionem magis, quam turbulentam indignationem impendens.

XI. Mundi vanitates, carnisque voluptates viliſſimas ſperne, immortali animæ tuæ Sponſo teipſum ſervans, & in eo ſolatia conſtituens.

XII. Paucis contentus eſto, & ſimplicibus delectare, memor paupertatis, quam pro te aſſumpſit, tibique commendavit Deus tuus. Tu diſcipulus, ille Magiſter, tu ſervus, ille Dominus, gaudeat diſcipulus, dum imitatur Magiſtrum, exultet ſervus, dum ſequitur Dominum.

Con-

Conclusio Epistolaris.

HÆc Documenta crebrò inſpice ac lege, Deumque precare, ut ea adimplere poſſis, ſine cujus gratia nihil boni facere potes. Malæ ſuggeſtiones non adiment in te virtutem, ſi eis diſſenſeris; Imò verò laboris moleſtia, quam in talibus ſuſtines, virtutem perornat, meritumque adauget. Interna etiam inſtabilitas, qua tibi nolenti cor inter precandum pſallendumque miſerè (ut verbis tuis utar) diſtrahitur, non tollit orationis tuæ fructum, ſicut nec ſterilitatis ariditatiſque gelu, quo te penè aſſiduè conſtringi conquereris. Sed curare debes, ut vigili, ſtrenua, & fideli diligentia ſanctum illud opus reverenter peragas; nam creſcente in te humilitate ac charitate, aliquando tibi fortè dabitur, ut ſerena, attentaque mente rebus divinis attendas. Vale, & ora pro me.

Tenen-

Tenenda in conversatione cum aliis.

VItare omnem contentionem; omnibus satisfacere citra peccatum; Cavere, ne ullum in nobis vitium deprehendatur, ut sunt excessus in cibo, in potu, hyperbolæ, & vanitates in loquendo, motus inconcinni, & gestus, &c.

Humilitati studere, nam sicut inter superbos semper sunt jurgia, ita inter humiles perpetua benevolentia.

F I N I S.



COM-

COMPENDIUM Ritus ſervandi.

in Lectione ſacri.

§. 1.

De obſervandis ab initio usque ad Canonem.

1. LOtis manibus, parato calice, Corporali Burſæ non tantùm ſuppoſito, ſed incluſo, &c. ſumit paramenta cum oſculo Amictûs, Manipuli, & Stolæ, etiam dicturus de Requiem, ac preces præſcriptas recitando.

2. Induens amictum, conſvetudinem ſe præviè, at ſine amictu ſignandi, obſervare poteſt: indutus facta Cruci profunda reverentia, ſequitur miniſtrum oculis demiſſis, corpore erecto, inceſſu gravi, non feſtino.

3. Burſa ad cornu Evangelii collocata, calicem altari impoſitum velo ita

lo ita tegit, ut anteriori parte totus lateat.

4. Missam inchoaturus descendit ad infimum gradum, inde, non properè nimis, sed decenti gravitate dicto ingressu, ascendit nullam in plano faciens reverentiam, etiam Sanctissimo exposito: ad *vobis Fratres* in Confiteor, versus ministrum non se inclinat.

5. *Kyrie* non incipit nisi profunda reverentia cruci exhibita. Ad *Gloria in excelsis* non elevat oculos; sed manus tantùm ad humeros usque, ad *Deo* caput inclinans.

6. Altare non osculatur in latere, sed in medio, ubi crux in corporali, quod oram altaris tangere debet: ad *Dominus vobiscum*, *Orate Fratres* &c. non disjungit manus, antequam versus populum stet; jungit autem priùs, quam iterum ad Altare vel librum vertat. Dum se vertit, vitabit nimiam Festinationem,

onem, nec Altari se applicabit.

7. Sub *Graduali*, *Tractu*, *Sequentia* non jungit manus, sed eodem situ habet, ac sub Epistola, aut librum tenendo, aut illas Altari, vel libro imponendo: ad *Munda cor* junctas super altare non ponit. Post *munda* dicit *jube Domine* non Domne, *benedicere*.

8. Si ipse librum ad latus Evangelii portat, transeundo cruci in medio reverentiam facit: *Dominus vobiscum* non dicit, nisi libro assistens, in quo ad finem modicè elevato, initium Evangelii osculatur.

9. Ad *Credo*, quod non incipiat nisi facta priùs cruci profunda inclinatione, oculos non elevat, sed manus tantùm. Sub *Incarnatus* unum duntaxat genu flectit, etiam in Nativitate Domini.

10. Non nisi finito *Suscipe sancte Pater* patena, quam ambabus manibus tenet, crucem format. Calicem

cem offerens, ita elevat, ut cuppa oculos non excedat, nec ore inferior ſit: crucem cum eo ſuper corporale ambabus manibus facit. Dum dicit *Sanctus* jungit manus, ſed ſuper altare non ponit.

§. 2.

De notandis à Canone uſque ad finem.

1. TE *igitur clementiſſime* non incipit niſi manibus elevatis, ſtatimque demiſſis ſuper Altare poſitis profundè inclinatus. Dicens, *Hanc igitur oblationem* manus ſimul ſupèr calicem, & Hoſtiam extendit.

2. S. Hoſtiam ac calicem elevat ultra altitudinem capitis, quin aut capiti, aut fronti applicet, & mox iterum demittit, Calicem diſcooperit poſt genuflexionem 2dam, tegit ante ultimam. S. Hoſtia in corporale dextera manu depoſita, pollicem ab indice usque ad ablutionem

non

non nisi ad S. Hostiæ tactum se-jungit, digitos digitis nunquam in-serit, &c.

3. Calicis consecrationem non nimis properè subjungit consecrati-oni Hostiæ, vitata indecenti tum elevationis, tum genuflexionis fe-stinatione: Verba consecrationis; non ita profert, ut singula vel ca-pitis motione, vel vehementiori a-spiratione quasi extrudat.

4. *Per omnia* ad *Pater noster* non incipit, nisi post genuflexi-onem manibus super altare positis. Ad *Oremus præceptis salutaribus* &c. caput inclinat, jungit manus, at super Altare non ponit. *Pater noster* prosequitur extensis manibus, & oculis vel in librum, vel Sacra-mentum defixis.

5. Patenam post osculum in pu-rificatorio aut corporali non abster-git, neque manus junctas sub *Agnus Dei* in missis *de Requiem* Altari imponit.

6. Sub

6. Sub *Domine non ſum dignus* modicè inclinatus, ſiniſtrum cubitum ſuper Altare non ponit, nec ad latus indecorè ſe vertit: ſe ipſū adhuc inclinatus S. Hoſtia ſignat, cruce ſuper patenam facta, quæ hujus latitudinem non excedat: Sumpta S. Hoſtia, quod facit cubitis Altari impoſitis, manus ante faciem jungit, quieſcendo tantiſper, ſed abſque capitis inclinatione.

7. Calicem porrò, quem aliis vicibus ad nodum infra cuppam tenuit, S. Sangvinem ſumpturus juxta rubricas infra nodum tenet: in ipſa ſumptione autem convenienter 3. hauſtus adhibet, in purificatione duos, & in ablutione duos, qua peracta, velum ſuper calicem ita accomodat, ut ex parte anteriori omninò tectus ſit.

8. Communio dicitur apud librum, etſi memoriter ſciatur. Ad Evangelium S. Joannis ſignatur tabella,

bella, si ex ea legatur; sin minùs, Altare, cujus signatio tamen omittitur exposito Sanctissimo: *Ad Verbum Caro factum*, versùs cornu Evangelii genuflexio fit.

9. In discessu ab Altari quó ad modestiam oculorum, incessum, &c. observantur superiùs de accessu notata.

10. Facta in Sacristia Cruci reverentia, vestes iisdem osculis deponuntur, quibus fuerunt assumptæ.

§. 3.

De inclinationibus corporis.

QUadruplex adhiberi solet: Genu, medii Corporis, humerorum, & solius capitis flexio: prima profundissima dicitur, altera profunda, tertia mediocris, quarta minima.

Genuflectit Altari, in quo Sanctissimum servatur. 1. dum ante illud *transit*. 2. dum ad illud *accedit*. 3. in plano dicturus *Ingressum*: ubi ta-

men factæ genuflexioni nullam aliam humerorum, seu capitis inclinationem subjungit. 4 in eodem plano, dum ab Altari *discedit*. Genuflexio ad *Incarnatus*, *Verbum caro*, &c. aliæque, quia per se notæ, non assignantur: omnes autem fiunt usque ad terram, reliquo corpore erecto, sine festinatione.

Profundè se inclinat. 1. ad *Confiteor*. 2. *Munda*. 3. *Te igitur clementissime*. 4. *Supplices te rogamus*. 5. *Sumptionem* S. Hostiæ. 6. Ante *Discessum* è Sacristia, & post *reditum*. 7. Quando ad Altare, ubi Sanctissimum non servatur, *accedit*, aut ab illo *recedit*. 8. Quoties à *medio* Altaris *descendit* in planum, vel *transit* ad latus, aut à latere ad medium *pervenit*, nisi aliàs jam inclinatus sit, aut inclinare se debeat.

Humeros inclinat. 1. Ad *Deus tu conversus*. 2. *Oramus te Domi-*

ne per merita. 3. *In ſpiritu humilitatis.* 4. *Suſcipe S. Trinitas.* 5. *Sanctus* uſque ad Benedictus excluſivè. 6. *Agnus Dei.* 7. Et Orationes ſequentes. 8. *Domine non ſum dignus.*

Caput tantùm inclinat. 1. *Ad Gloria Patri* in Introitu, ac Pſalm. Judica & Lavabo. 2. *Ad Gloria in excelſis* dum dicit *Deo*, *Adoramus*, *Gratias agimus*, *Jeſu Chriſte*, *Suſcipe deprecationem.* 3. Quoties dicit *Oremus* pronuntiat nomen *Jeſu*, *Mariæ*, *Sancti*, de quo fit Miſſa vel Commemoratio *Papæ.* 4. Ad *Credo* dum dicit *Unum Deum*, *Jeſum Chriſtum*, *Adoratur.* 5. Ad *Deo noſtro in Gratias agamus* ante Præfationem. 6. Ad Memento pro vivis.

Item 7. Ad *Tibi gratias agens* ante Conſecrationem, & ſub Conſecratione ipſa, ſi Altare tam altum ſit, ut cubitorum impoſitio non

majorem, quàm solius capitis inclinationem requirat. 8. Ad *per Dominum* ante *Nobis quoque*. 9. *Ad Placeat tibi sancta*. &c. 10. Ad Benedictionem, dum dicit *Omnipotens Deus*. Porrò omnes istæ capitis flexiones fiunt versùs crucem, præterquam ad nomen *Jesu* sub Evangelio, item nomina *Mariæ*, *Sanctorum*, *Papæ*, ad quæ caput versùs librum inclinatur ex quo leguntur.

§. 4.

De cæremoniis manuum.

Manus in aëre extensas tenet ad *Collectas*, *Præfationem*, & sæpè sub *Canone*: ita tamen, ut una palma alteram respiciat, digitique omnes simul jungantur, quorum summitas humerorum altitudinem, distantiamque non excedat.

Eas usque ad humeros intra eorundem distantiam *elevat*, *& jungit*. 1. Ad *Gloria in excelsis*- 2. *Credo*. 3. *Veni sanctificator*. 4. *Sursum corda & Gra-*

& Gratias agamus. 5. Ad initium *Canonis.* 6. Ad *Memento* utrumque 7. Ad *Benedicat vos omnipotens*: elevat autem, quin illas priùs in profundum deprimat.

Manus sine elevatione jungit. 1. quoties dicit *Oremus.* 2. *Dominus vobiscum* ad populum. 3. clausulas Orationum per *Dominum* &c. qui vivis, *in unitate* &c. 4. Ad *Orate fratres.* 5. *Sanctus.* 6. *De tuis donis ac datis* post Consecrationem. 7. *Supplices te rogamus* &c. 8. *Sacrosanctum Filii tui corpus.*

Dum manus ante pectus junctas, sed Altari non impositas tenet, extrema digitorum non Altare, sed faciem respiciant celebrantis: tenet autem illas sic. 1. Quoties à medio *recedit*, vel *accedit.* 2. Dum dicit *Ingressum*, *Kyrie*, *Hymnum Angelicum.* 3. *Munda Evangelium.* 4. *Credo*, *Offertorium*, *Sanctus.* 5. *Oremus præceptis salutaribus.* Antipho-

phonam *Communio*. 6. Clausulam *Collectarum* &c.

Manus junctas super Altare ponit, ita ut parvis digitis, residuo manuum inter Altare & se retento, frontem illius tangat. 1. Ad *Oramus te Domine*. 2. *In spiritu humilitatis*. 3. *Suscipe S. Trinitas*. 4. *Te igitur clementissime*. 5. etiam post Consecrationem ad *Supplices te rogamus*. 6. Ad *Orationes* ante sumptionem. 7. Ad *Placeat tibi S. Trinitas*.

Extensas hinc inde æqualiter super Altare ponit. 1. Quoties illud osculatur. 2. Ad per *omnia* ante Præfationem & Pater noster. 3. Dum legit *Epistolam*, nisi libro imponere malit.

Sinistram super Altare ponit. 1. Dum signat *oblata*. 2. Ad *Libera nos quæsumus*. 3. Ad *Agnus*, dum pectus percutit. 4. Ad *Sangvinis Domini nostri* &c. & *Quod ore*

sum-

ſumpſimus, patenam inter digitos tenens. 5. Ad *Initium Evangelii S. Joan.* dum dextera ſignat Altare.

Siniſtram pectori admovet. 1. Dũ *ſe ipſum ſignat.* 2. pectus percutit ad *mea culpa.* 3. Populum *benedicit*, &c.

Palmam dextræ ad ſe vertit, dum ſe ſignat, quando verò alia, ſummitatem digitorum junctorum ſimul & extenſorum, rei, cui benedicit, obvertit, ſicque tota manu extenſa non per puncta, ſed per tractus format rectam & transverſam lineam crucis, magnitudinem palmi non excedentis: Hoſtiam & calicem ſimul ſignans crucem in altitudine æquali ab iſto ad illam format, vitando nimiam celeritatem.

§. 5.

De cæremoniis oculorum

Oculos elevat, & ſtatim demittit.

1. Ad

1. Ad *Munda.* 2. Ad *Veni ſancti-ficator.* 3. Ad *Oblationem* Hoſtiæ. 4. Ad *Suſcipe ſancta Trinitas.* 5. immediatè ante *Te igitur* &c. 6. Ad *Gratias agamus.* dum dicit *Deo noſtro.* 7. Ad *Qui pridie* dum dicit, *& elevatis oculis.* 8. Ad *Benedicat vos omnipotens.*

Oculos elevatos tenet ad totam *oblationem* calicis ac ſub *elevatione* utriusque ſpeciei.

Demiſſos tenet præſertim. 1. in *acceſſu*, & *receſſu* ab Altari. 2. dum ad populum dicit *Dominus vobiſcum*, *Orate fratres.* 3. Sub *oblatione* Hoſtiæ. 4. Ad *Memento.* 5. Sub *Benedictione* populi.

§. 6.

De variatione vocis.

Triplex in Miſſa vox adhibetur; *Alta*, id eſt, clara, & à circumſtantibus intelligibilis, non tamen clamoſa.

Media, ſeu talis, quæ à miniſtro

ſtro percipi poſſit, & *Submiſſa.*

Alta voce dicuntur. 1. *Ingreſſus, Introitus, Kyrie, Gloria in excelſis.* 2. *Dominus vobiſcum, Oremus, Collectæ, Epiſtola, Graduale, Tractus.* 3. *Evangelium, Credo, Offertorium. Præfatio.* 4. *Pater noſter, Pax Domini & Per omnia* præcedens. 5. *Agnus, Communio, Poſtcommunio.* 6. *Ite miſſa, Benedictio, Evangelium ſancti Joan.*

Media voce dicuntur. 1. *Orate fratres.* 2. *Sanctus* uſque ad Canonem. 3. *Nobis quoque peccatoribus.* 4. *Domine non ſum dignus*, Cætera omnia, præſertim verba conſecrationis, dicuntur *voce ſubmiſſa.*

§. 7.

Tabulæ Directivæ pro SS. Miſſæ Officio celebrando.

Tem-

Tempus.	*Color.*	*Missa.*	*Gloria.*
Adventus.	Viol.	Prop.	Omit.
Ab Oct. Epiphaniæ.	Virid.	Prop.	Dicitur.
A Septuagesima.	Viol.	Prop.	Omit.
A Die Cinerum.	Viol.	Prop.	Omit.
A Dominica Passionis.	Viol.	Prop.	Omit.
Ab Oct. Paschatis.	Alb.	Prop.	Dicitur.
Ab Oct. Pentecost.	Virid.	Prop.	Dicitur.

Cre-

Credo.	*Præfatio.*	*Benedictio.*	*Orationes.*
Dicitur.	Communis.	Benedicamus.	2. Deus, qui. 3 Eccles. vel pro Papa.
Dicitur.	Communis.	Ite.	2. Deus, qui, salutis. 3. Eccl. v. Pap.
Dicitur.	Communis.	Benedicamus.	2. A cunctis 3. Ad libitum.
Dicitur	Quadrages.	Benedicamus.	2. A cunctis 3. Pro vivis & defunct.
Dicitur	De Cruce.	Benedicamus.	2. Eccles. vel pro Papa.
Dicitur	Paschalis.	Ite.	2. Concede. 3. Eccl. vel pro Papa.
Dicitur	Communis.	Ite.	2. A cunct. 3. ad libitum.

Tempus.	*Color.*	*Missa.*	*Gloria.*
Adventus.	Viol.	Prop.	Omit.
Ab Oct. Epiphaniæ.	Virid.	Prop.	Omit.
A Septuagesima.	Viol.	Prop.	Omit.
A die Cinerum.	Viol.	Prop.	Omit.
A Dominica Passionis.	Viol.	Prop.	Omit.
Ab Oct. Paschatis.	Alb.	Prop.	Dicitur.
Ab Oct. Pentec.	Virid.	Prop.	Omit.

Credo.	*Præfatio.*	*Benedictio.*	*Orationes.*
Omit.	Communis.	Benedicamus.	Dominicales.
Omit.	Communis.	Benedicamus.	Dominicales.
Omit.	Communis.	Benedicamus.	Dominicales.
Omit.	Quadragef.	Benedicamus.	1. Prop. 2. & 3. Dom.
Omit.	De Cruce.	Benedicamus.	1. Prop. 2. Eccl. vel pro Papa.
Omit.	Pafch.	Ite.	Dominicales.
Omit.	Communis.	Benedicamus.	Dominicales.

Tem-

Tempus.	*Col.*		*Missa.*	*Gloria.*
Adventus.	Al	Ru	Puo	Sem
Ab Oct. Epiphaniæ.	bus	ber	pri	pe
A Septuagesima.	pro	pro	a,	r
A Die Cinerum.	non	Mar	vel	di
A Dominica Passionis.	Mar	ty	Com	ci
Ab Oct. Paschatis.	tyri	ri	mu	tu
Ab Oct. Pentecost.	bus.	bus.	nis.	r.

Cre-

Credo.	*Præfatio.*	*Benedictio.*	*Orationes.*
Ut	Pro	Ite.	2. Feriæ.
nota	pri	Ite.	Unica.
tur	a,	Ite.	Unica.
c. xi.	vel	Ite Evangel. Feriæ.	2. Feriæ.
Rub	Do	Ite Evangel. Feriæ.	2. Feriæ.
ri	mi	Ite.	Unica.
carum.	nicæ.	Ite.	Unica.

Tempus.	*Col.*		*Missa.*	*Gloria.*
Adventus.	Ru	Al	Pro	Sem
Ab Oct. Epiphaniæ.	ber	bus	pri	pe
A Septuagesima.	pro	pro	a,	r
A Die Cinerum.	Mar	non	vel	di
A Dominica Passionis.	ty	Mar	Com	ci
Ab Oct. Paschatis.	ri	tyri	mu	tu
Ab Oct. Pentecost.	bus.	bus.	nis.	r.

Credo.	*Præfatio.*	*Benedictio.*	*Orationes.*
Ut	Pro	Ite.	2. Feriæ. 2. Deus, qui.
nota	pri	Ite.	2. & 3. Domin.
tur	a,	Ite.	2. & 3. Domin.
c. xi.	vel	Ite Evangel. Feriæ.	2. Feriæ. 3. A cunctis
Ru	Do	Ite Evangel. Feriæ.	2. Feriæ. 3. Eccl. vel pro Papa.
bri	mi	Ite.	2. & 3. Domin.
carum.	nicæ.	Ite.	2. & 3. Domin.

Tempus.	*Color.*	*Missa.*	*Gloria.*
Adventus.	Ce	di	t
Ab Oct. Epiphaniæ.	Albus vel Rub.	Prop. vel Comu.	Dicitur
A Septuagesima.	Albus vel Rub.	Prop. vel Comu.	Dicitur
A die Cinerum.	Ce	di	t
A Dominica Passionis.	Ce	di	t
Ab Oct. Pasch.	Albus vel Rub.	Prop. vel Comu.	Dicitur
Ab Oct. Pentecost.	Albus vel Rub.	Prop. vel Comu.	Dicitur

Credo.	*Præfatio.*	*Benedictio.*	*Orationes.*
Fe	ri	æ.	2. de Sancto 3. Deus qui salutis.
Omit.	Communis.	Ite.	2. & 3. Dominicales.
Omit.	Communis.	Ite.	2. & 3. Dominicales.
Fe	ri	æ.	2. de Sancto 3. A cunctis.
Fe	ri	æ.	2. de Sancto tantùm.
Omit.	Paschalis.	Ite.	2. & 3. Dominicales.
Omit.	Communis.	Ite.	2. & 3. Dominicales.

Votiva.	*Color.*	*Missa.*	*Gloria.*
De SS. Trinit.	Albus.	Prop.	Omit.
De Spiritu S.	Ruber.	Prop.	Omit.
De SS. Euchari-stia.	Albus.	Prop.	Omit.
De S. Passione.	Viol.	Prop.	Omit.
De Sanct. Cruce.	Ruber.	Prop.	Omit.
De B. Virgine.	Albus.	Prop.	Omit. extra Sabb.
De SS. Angel.	Albus.	Prop.	Dici-tur.

Cre-

Credo.	*Præfatio.*	*Benedictio.*	*Orationes.*
Omittitur.	Propria	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.
Omittitur.	Propria	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.
Omittitur.	De Nativit.	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.
Omit.	De Cruce.	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.
Omit.	De Cruce.	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.
Omit.	Propr.	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.
Omit.	Com̃, vel de temp.	Ite.	2. & 3. diei currentis.

Voti-

Votiva.	*Color.*	*Missa.*	*Gloria.*
De SS. Apostolis.	Ruber.	Propria.	Omit.
Temp. bell. & aliis.	Viol.	Propria.	Omit.
De SS. MM, non MM.	Ruber. Albus.	Propria vel Comu.	Omit.
Pro Defunctis.	Niger.	Propria	Omit.

§. Juxta superius, Tabulâ nimirum 3. & 4. citatum caput 11. *Rubricarum* in sequentibus festis duplicibus, ac Semiduplicibus dicitur *Credo*.

1. In omnibus Festis Domini, inter quæ etiam computantur Inventio, Exaltatio S. Crucis, Transfiguratio, Feria 5. majoris hebdomadæ.

2. In Festis B. Virginis, & Angelorum.

3. In

Credo.	*Præfatio*	*Benedictio.*	*Orationes.*
Omit.	De SS. Apostol.	Benedicamus.	2. & 3. diei currẽtis.
Omit.	Comũ. vel de temp.	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.
Omit.	Comũ. vel de temp.	Benedicamus.	2. & 3. diei currentis.
Omit.	Communis.	Benedicamus.	una vel plur. pro qualit. Missæ.

3. In Festis Evangelistarum, Apostolorum, tam propriis, quàm in alia cujusque memoria, qualis est v. g. Cathedra S. Petri, Joan. ante portam latinam &c.

4. In Festis tum 4. Ecclesiæ, tum aliorum Doctorum.

5. In Festis omnium Sanctorum, Patroni loci vel tituli Ecclesiæ, item Sancti, cui dedicata est Ecclesia ac S. Magdalenæ.

6. In Festis Sanctorum, de quibus habetur insignis reliquia.

7. In Festis principalibus Ordinum in Ecclesiis tantùm illius Ordinis.


8. In Anniversario Dedicationis Ecclesiæ: item Dedicatione Basil. Salvatoris; & Apostolorum Petri & Pauli.

9. Per Omnes Octavas Festorum præcedentium, quæ cum Octava celebrantur.

10. In Festis, quæ cadunt in Dominicas, aut infra Octavas festorum *Credo* habentium.

SCHEMA INCENSATIONIS

In quo ordo ductuum sub Missa solemni faciendorum per numeros exhibetur.



ORDO INCENSATIONIS ALTARIS.

T.R.

INcensationem ritè peracturus facta cruci reverentia juxta numeros 1. 2. 3. ter eandem incensat, & facta iterum reverentia incensat à cornu Evangelii Reliquias, vel imagines Sanctorum expositas bino ductu, ut insinuatur per numeros 4. 5. deinde facta cruci alia reverentia simili modo Reliquias ex parte Epistolæ notatas per numeros 6. 7.

Quibus peractis, facta iterum cruci reverentia Altare secundùm distributionem candelabrorum designatam numeris 8. 9. 10. ter incensat usque ad cornu Epistolæ, ubi demissa manu thurificat illius partem postremam, quam exhibent numeri 11. 12. bis ducto thuribulo, posteà elevans manum Altaris planitiem seu mensam in anteriori parte incensat, ter ducens thuribulum à cornu Epistolæ usque ad medium, ut insinuatur numeris 13. 14. 15.

Post

Póst facta iterum cruci reverentia, thurificat aliud latus altaris eodem modo, quo priùs secundùm ordinem numerorum 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. ita tamen, ut post ductum numeri 23. non procedat ad medium; sed incipiat incensare triplici ductu Altaris frontem anteriorem, quam ostendunt numeri 24. 25. 26. à cornu Evangelii ad medium usque, ubi facta cruci reverentia reliquam partem frontis notatam per numeros 27. 28. 29. triplici ductu incensat usque ad cornu Epistolæ.

Cæterùm nomine reverentiæ inter thurificationem modo hactenùs dicto faciendæ intelligitur genuflexio, si Sanctissimum in altari sit expositum, aut alias servatum; Sanctissimo autem non exposito, nec asservato, inclinatio profunda, id est, medii corporis; si verò, antequam incipiat in censationem

tunc

genuflexionem fecit, tunc nullam aliam capitis, aut humerorum inclinationem cruci exhibet.

Cùm nullæ expositæ sunt reliquiæ vel imagines Sanctorum, omissis quatuor illis ductibus per numeros 4. 5. 6. 7. notatis, ductui numeri 3. facta priùs reverentia, statim subjungitur ductus numeri 8. cum reliquis sequentibus; ductus verò numerorum 8. 9. 10. 16. 17. 18. semper fiunt modo suprà dicto, etsi plura vel pauciora forent candelabra, quàm sex.

Erga sanctissimum expositum à genuflexo in supremo altaris gradu gravi & morosa thuribuli vibratione cum profunda inclinatione antè & pòst observandus est ordo ductuum designatorum per numeros 1. 2. 3. quin genuflexio ante & post incensationem facienda omittatur.

Præ-

Præter incenſationem Altaris etiam incenſatur liber, ex quo cantatur Evangelium, & oblata poſt Offertorium.

Liber poſt cantatum *Sequentia S. Evangelij* &c. incenſatur ductu triplici, ſcilicet in medio, à parte dextra, & ſiniſtra. Ad oblatorum thurificationem fiunt inprimis tres ductus ſuper Hoſtiam & Calicem ſimul in modum crucis, non veluti per puncta, ſed per lineas rectas, & æqualis altitudinis continuo tractu formatas, deinde tres circum calicem, duo à dextra celebrantis ad ſiniſtram, unus à ſiniſtra ad dextram: incenſantur autem oblata ſine prævia reverentia, antequam crucis vel Sanctiſſimi expoſiti incenſatio fiat.

Porrò celebrans quamcunque incenſationem commodè & cum decore inſtituet, ſi ſummitatem catenu-

tenularum ſiniſtra pectori admovens, dextra easdem prope operculum ſic teneat, ut breve catenularum ſpatium inter manum & thuribulum remaneat, ſi in actu incenſationis non nimiùm feſtinet, nec corpus, nec caput indecorè agitet, ſolum brachium dextrum tractim cum thuribulo moveat, &c.

FINIS.

SELE-

SELECTÆ DEVOTIONES
Ad
S. JUDAM
APOSTOLUM.
SANCTUM
JOANNEM
NEPOMUCENUM.
SANCTUM
JOSEPHUM.
Adjunctis aliis
ORATIONIBUS.

DEVOTIO
Ad
S. JUDAM
APOSTOLUM.

SAnctus Judas piæ cuidam personæ spectabilis, non sine querulo animi sensu testatus fuit: nimirum paucos se ex omni hominum sorte cultores numerare, cùm tamen Deus plurimas iis, si qui forent, gratias præ-

præparaverit. Experti id ſunt plurimi, maximè qui in rebus deſperatis, ac pravis cogitationibus repellendis, ejus opem implorarunt; & quid non à Deo magnus iſte Sanctus impetrare valeat? Qui non ſolùm parentem utrumque, fratres ternos, & binas ſorores, cum totidem nepotibus, à ſanctitate conſpicuos eſt ſortitus, ſed arcta cum Chriſto ipſo cognatione conjunctus, & cum eodem educatus fuit.

Hic coapoſtolis omnibus prior Evangelium prædicavit; Judæam, Galilæam, Samariam, Perſidem, Idumæam, Arabiam, Syriam, Meſopotamiam eo fructu peragravit, ut in Syria cum Rege (quem per aquam baptiſmi à lepra mundavit) plurimos converterit, in Babylone Regem cum 60. hominum millibus baptizaverit, ubique prodigiis clarus, dum ſola præſentia idolis indixit ſilentium, interceptam videndi loquendique facultatem ſigno crucis reſtituit, ſerpentes innoxia manu tractavit, mortuos ad vitam revocavit; Verbo: Divo huic omnes creaturæ in miracula obtemperavere, quæ omnia

mor-

morte gloriosa fustibus interemptus coronavit. Qui tanta fecit in vita, majora præstabit in gloria, modô tu ejus patrocinium constanti cultu demerearis.

OFFICIUM
De sancto & glorioso Apostolo in rebus desperatis singulari Patrono
JUDA THADDÆO.

Ad Matutinum.

℣. Sancte Juda, ora pro me:
℟. Et omnibus, qui colunt te.
℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Hymnus.

SAnctum Judam collaudemus,
Cœli civem celebremus
Condignis encomiis;
Particeps qui passionis,

Dono

Dono retributionis
Gaudet cum Apostolis.
Lumen erat & Dux viæ
Cœcæ genti, & Mariæ
Junctus erat sangvine;
Habuit Alphæum Patrem,
Ejus confitetur Matrem.
Se Maria Cleophæ.

Antiph. Eccli. 15. *v.* 2.

Qui timet Deum, faciet bona, & qui continens est justitiæ, apprehendet illam, & obviabit illi quasi mater honorificata.

℣. Sancte Juda Patrone fidelissime.
℟. Placato nobis Deum clementiæ.

Oratio.

DEus, cujus bonitas & clementia exhauriri non potest, aures benignas famulorum famularumque tuarum precibus inclina, & præsta ut omnes, qui te in Apostolo tuo Juda Thaddæo devotè recolunt, meritis ejus petitionis suæ effectum consequantur, Amen.

℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.

Fidelium animæ Defunctorum &c.

Ad Primam.

℣. Sancte Juda &c. ℣. Deus in adjut. &c. *ut suprà.* *Hy-*

Hymnus.

DUodenos eligebat
Christus, quibus decernebat
Munus Apostolicum,
Dei nutu deputatus
Et Thaddæus, est relatus
In eorum numerum.
Tradidit hic mox divinam
Idololatris doctrinam,
Docens eos impiger;
Per miranda quæ patravit,
Quod docebat, confirmavit,
Agens fidem fortiter.

Antiph. Eccli. 15. *v.* 5.

In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implevit illum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus, & stola gloriæ induit eum.

℣. Sancte Juda &c. ℟. Placato nobis.

Oratio ut suprà.

℣. Benedicamus. Fidelium animæ.

Ad Tertiam.

℣. Sancte Juda. &c. ℣. Deus in adjutorium. &c. *ut suprà.*

Hymnus.

CLara Judæ sunt portenta,
Quæ confirmant instrumenta.
Data ab Abagaro;
Huic à se baptizato,

Fal-

Falſa Fide liberato
Profuit auxilio.
Nec in anima curabàt
Regem tantùm, (quod rogabat)
Juvit & in corpore;
Reddita dum ſanitate,
Facta ſibi poteſtate
Lepram juſſit cedere.

Antiph. Eccli. 15. *v.* 3.

Cibavit illum pane vitæ & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potavit illum Dominus noſter.

℣. Sancte Juda. ℟. Placato nobis.

Oratio ut ſuprà.

℣. Benedicamus. Fidelium animæ.

Ad Sextam.

℣. Sancte Juda. &c. ℣. Deus in adjutorium &c. *ut ſuprà.*

Hymnus.

TUus zelus non quievit
Sancte Juda, qui non ſprevit
Regionem Perſiæ.
Hìc Idola confundebas,
Fidem felix invehebas
Et Meſopotamiæ.
Inde turba ſacerdotum
Conabatur, ut te totum
Quovis modo perderet;
Cùm te Chriſtum prædicante,

Non

Non Idolum, ſicut antè,
Verba promptè redderet.

Antiph. Eccli. 39. v. 4. 5.

In medio magnatorum miniſtravit, & in conſpectu Præſidis apparuit, in terram alienigenarum gentium pertranſiit: bona enim & mala in hominibus tentavit.

℣. Sancte Juda. ℟. Placato nobis.

Oratio. &c. ut ſuprà.

Ad Nonam.

℣. Sancte Juda &c. ℣. Deus in adjutorium &c. *ut ſuprà.*

Hymnus.

DUm tu cupis propagare
Chriſti fidem, te fugare
Dolus vult diaboli.
Cui tamen non ceſſiſti,
Imò cunctis oſtendiſti
Vanas fraudes erebi.
Quiquid mundi contempſiſti;
Quod cœpiſti, docuiſti
Cum gentis ſolamine;
Operam non perdidiſti,
Chriſto multos peperiſti
Verbi Dei ſemine.

Antiph. Eccli. 30. v. 11.

Ipſe palam fecit diſciplinam doctrinæ ſuæ, & in lege teſtamenti Dñi gloriatus eſt.

℣. Sancte Juda. ℟. Placato nobis.

Oratio &c. ut suprà.

℣. Benedicamus. Fidelium animæ.

Ad Vesperas.

℣. Sancte Juda &c. ℣. Deus in adjutorium &c. *ut suprà.*

Hymnus.

QUam zelosè conscripsisti,
Et qua multùm profuisti,
Colimus Epistolam.
In qua studes nos docere,
Viam Regiam tenere,
Quæ ducit ad patriam.
Orbis tibi fert terrarum,
Sancte Juda, nomen clarum
Præconis eximii.
Dei te dicunt Legatum,
Vindicemque veritatum
Venerantur Ethnici.

Antiph. Eccli. 39. v. 9.

Ipse tanquam imbres emisit eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confessus est Domino.

℣. Sancte Juda. ℟. Placato nobis.

Oratio &c. ut suprà.

Ad Completorium.

℣. Sancte Juda &c.

℣. Converte nos Deus salutaris noster,

℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adjutorium &c. *ut suprà.*

Hymnus.

TAndem finis est dolorum,
Merces venit, & laborum
Larga tollis præmia;
Virtus tua triumphavit,
Numen mirè te ornavit
Martyrum Laureola.
Nam ab his, quos edocebas
Veram fidem, perferebas
Mortem cædens fustibus;
Vitam Deo reddidisti,
Sed sic polum subiisti
Gaudens cum cœlitibus.

Antiph. Jacob. 1. v. 12.

Beatus vir, qui suffert tentationē: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.
℣. Sancte Juda. ℟. Placato nobis.

Oratio &c. ut suprà.

℣. Benedicamus Domino. Fidelium animæ. &c.

Commendatio.

APostole lectissime,
Et Martyr invictissime
Juda, preces clientis
Ut consvevisti, respice,

Devotæ celer ſuſcipe
Hanc pronitatem mentis,
Attende vim certaminis,
Virtutem pete flaminis,
Pro qua has preces promo;
Accedit finis flaminis,
Horror venit examinis,
Non titubem in bono.
Semper me ad hoc animem,
Ne animam contaminem,
Quæ meus eſt theſaurus,
Tu meus ſemper Doctor ſis,
Ne mihi ſit cum Deo lis,
Sic mihi manet laurus.

LITANIÆ
de S. Apoſtolo Juda Thaddæo.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere nobis.
S. Juda Thaddæe JESU & MARIÆ Conſangvinee, Ora pro nobis.
S. Thaddæe, qui Ss. Perſonas Jeſum & Mariam videre, earumque ſua-

vi colloquio frui dignus fuisti, Ora pro nobis.

S. Thaddæe, qui prodigiorum Christi fidelis testis extitisti, Ora pro nobis.

S. Thaddæe, qui à Christo ad dignitatem Apostolatus evectus es, Ora pro nobis.

S. Thaddæe, qui dilectissimo Magistro tuo Christo, summa cum verecundia pedes lavandos porrexisti, Ora pro nobis.

S. Thaddæe, qui in ultima cœna sanctissimam Eucharistiam è manibus dilectissimi Magistri summa cũ reverentia suscepisti, Ora pro nobis.

S. Thaddæe, qui mortem Christi amarè deplorans, post resurrectionem eum gaudiosissimè cœlum conscendere vidisti, Ora pro nob:

S. Thaddæe, qui in Pentecoste cum Co-Apostolis tuis Spiritu sancto repletus es, Ora pro nobis.

S. Thaddæe, qui Christo in coelos ascendente, in Persidem ad barbaras nationes Evangelio imbuendas, te contulisti, Ora pro nobis.

S. Thaddæe, qui doctrina tua innumeros infideles ad veram Religionem

onem perduxiſti, Ora pro nobis.

S. Thaddæe, qui Spiritus ſancti virtute maxima prodigia patraſti, Ora pro nobis.

S. Thaddæe, qui Regis Abagari animam ab infidelitate, corpus à lepræ contagione mundaſti, Ora pro nobis.

S. Thaddæe, qui divina virtute dæmones in Idolis elingves feciſti, magorumq; præſtigias confudiſti, Ora pro nobis.

S. Thaddæe, qui belli Duci Baradach pacem cum hoſtibus proſperè componendam vaticinatus es, Ora pro nobis.

S. Thaddæe, qui ſerpentibus, ne veneno homines inficerent, poteſtatem ademiſti, Ora pro nobis.

S. Thaddæe, qui ſpretis impiorum minis, vera fidei dogmata impavidè tradidiſti, Ora pro nobis.

S. Thaddæe, qui tandem pro Chriſti nomine fuſtibus occiſus, ſanctum vitæ curſum conſummaſti, Ora pro nobis.

S. Thaddæe, nos clientes tui, Te rogamus audi nos.

Ut precibus tuis Rectoribus Eccleſiæ cun-

cunctisque Christianis Catholicæ fidei zelum & constantiam obtinere digneris, Te rogamus audi nos.

Ut Romano Imperatori, omnibusque Principibus Christianis pacem, concordiam, & ad hostes debellandos, vires impetrare digneris, Te rogamus audi nos.

Ut Deus meritis tuis hæreticos, ac ethnicos ad veram fidem convertere dignetur, Te rogamus audi nos.

Ut fidem, spem & charitatem in nobis augere digneris, Te rogamus audi nos.

Ut pravas cogitationes, omnesque dæmonis insidias à nobis avertere digneris, Te rogamus audi nos.

Ut omnes honori tuo devotione addictos tutela tua ac favore digneris, Te rogamus audi nos.

Ut eos à peccatis, eorumque occasionibus præservare digneris, Te rogamus audi nos.

Ut eos ante obitum venerandis Sacramentis dignè expiari facias, Te rogamus audi nos.

Ut eos in agone confortare, & contra dæmonum incursus defendere digne-

digneris, Te rogamus audi nos.
Ut blandam eis Judicis faciem benignamquam sententiam exorare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut eos in Regionem viventium, gaudiis æternis potituros introducere digneris, Te rogamus audi n.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis Domine.
℣. O sancte Juda, tu nobis impetra,
℟. Ne Deus sumat ibi supplicia.

Oratio ut supra.

℣. Sancte Juda, ora pro me.
℟. Et omnibus, qui colunt te.

Oremus.

GLoriose Christi cognate, Apostole, & Martyr, S. Juda, qui vastissimis in regionibus fidem efferatis gentibus disseminasti: virtutibus ac miraculis clarus, innumerabiles filios JESU Christo peperisti: per illum, qui te sibi Apostolum adscivit, precor, ut me miserum à consvetudine peccatorum meorum abstrahas, à cogi-

à cogitationibus immundis me tuis meritis præserves, & in rebus desperatis tuo mihi adsis patrocinio; ac tandem ad cœlestem gloriam tuis precibus evehas: ubi sancta Trinitas adoratur in Patre, Filio, & Spiritu sancto, Amen.

Oratio.

Ad S. Judam Thaddæum,

Singularem apud Deum Advocatum eorum, qui pusillanimitate in adversis pressi, pene ad desperationem propendent.

SAnctissime Apostole, fidelissime Christi serve & amice, Juda Thaddæe! qui ob proditoris nomen ex quorundam simplicitate in debito tibi cultu deserteris, ob tuam verò sanctissimam & Apostolicam vitam ubique fere terrarum à vera Ecclesia specialis calamitosorum, & penè desperantium Advocatus invocaris, & pientissimè coleris. Ora Deum pro me misero, ut per tua merita in tribulationibus & angustiis meis consolationem recipiam; Dei, ac tuum auxilium (præsertim in præsenti perturbatione & angustia: NN.) expe-

riar,

riar, ac tandem in hora mortis meæ; atque tecum, & cum omnibus electis Deum æternùm amem & benedicam, Amen.

OFFICIUM
De
D. JOANNE NEPOMUCENO.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cœli & terra gloria tua.

Ad Matutinum.

℣. Domine labia mea aperies &c.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum &c.
Gloria Patri, &c.
Alleluja vel Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

ORbi Nepomucum dedit
Te Joannes! suum credit
Patronum Bohemia,
In qua tuæ pietatis,
Admirandæ sanctitatis,
Coruscant insignia.

℣. Domine ne elongaveris auxilium tuum à me.

℟. Ad defensionem meam conspice.

Oratio.

DEus, cui soli debetur omnis honor & gloria, per gloriosa merita S. Martyris tui Joannis Nepomuceni te suppliciter exoro, ut omnem infamiam & confusionem publicam mihi impendentem undecunque misericorditer avertere digneris, & concede sic uti honore temporali, ut æternam confusionem evadere & in cœlesti gloria merear collocari. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui ab æterna confusione, ignominiosa morte Crucis nos redemit, & nunc tecum vivit & regnat Deus in sæcula sæculorũ, Amē.

Ad Primam.

℣. Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Alleluja, vel Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

DEi Mater impetravit,
Quòd sis, mirè procuravit.
Natus thoro sterili.
Flammæ cœli confirmarunt,
Prolem sanctam te monstrarunt,
Signo non fallibili.

℣. Ad

℣. Ad te Dñe levavi animam meam.
℟. Deus meus in te confido, non erubescam.

Oratio ut supra.

Ad Tertiam

Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri, &c.
Alleluja vel Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

VIx Sacerdos ordinatus,
Es ferventer mox zelatus,
Solam Dei gloriam.
Divinum semen sparsisti,
Populum post te traxisti,
Per miram facundiam.
℣. Custodi animam meam & erue me.
℟. Non erubescam, quoniam speravi in te.

Oratio ut supra.

Ad Sextam.

Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri, &c.
Alleluja vel Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

TE Reginæ Confessorem
Virtus fecit, & censorem
Mirandæ prudentiæ.
Ab hac Pater vocitatus,

Unus ſuæ declaratus
Teſtis conſcientiæ.
℣. Suſcipe me Domine ſecundùm eloquium tuum.
℟. Et non confundas me ab expectatione mea.
Oratio ut ſuprà.

Ad Nonam.

Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri, &c.
Alleluja. vel Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

SÆvus piger Imperator,
Malorum clarus patrator,
Pollicetur peſſima.
Ni, quæ dixit Sacramento,
Tu propales in momento,
Uxoris peccamina.
℣. In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.
℟. In juſtitia tua libera me.
Oratio ut ſuprà.

Ad Veſperas.

Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri, &c.
Alleluja. vel Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

Hy-

Hymnus.

ARcanum custodivisti,
Ob quod lætus subivisti
Tormentorum genera.
Aquis tandem suffocatus,
Effectus quòd sis beatus,
Prodiderunt sidera.

℣. Intende animæ meæ & libera eam.
℟. Propter inimicos meos eripe me.

Oratio ut suprà

Ad Completorium.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum &c.
Gloria Patri, &c.
Alleluja. vel Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

TUmulatus nunc quiescis,
Et in dies illucescis,
Præclaris miraculis.
Es certus famæ Patronus,
Nos à malæ famæ pronus
Defendas periculis.

℣. Domine non confundar.
℟. Quoniam invocavi te.

Oratio ut supra.

Com-

Commendatio

SUſcipe quas dedimus Joannes beate, Tibi preces ſupplices noſter Advocate.
Fieri, dum vivimus, ne ſinas in fames, Et noſtros poſt obitum cœlis infer manes.

Oratio.

SAncte Joannes Martyr ac Patrone Nepomuci in Bohemia oriunde, templi S. Viti, in arce Pragenſi Canonice, eò quòd ad inſtantiam Vēnceslai IV. Regis, (ulciſci ſe de conjuge, ſæpè illum de vita corrigenda monente, volentis) ante & poſt torturam, Confeſſionem Auguſtæ propalare recuſaſti, in flumen Moldavam, ex ponte præcipitatus, à luminibus noctu ſupra flumen, ubi corpus tuum jacuit, apparentibus, certiſſimis tuæ innocentiæ & ſanctitatis teſtibus oſtenſus, ſolenniter ab univerſo Clero ac populo, ad Cathedrale Templum deportatus fuiſti. ubi usque hodie, qui tuum ſepulchrum dehonorant, vulgi infamiam effugere non ſolent. Tu ergo admirandam, inauditam, ac ſempiternam memoriam ſecreti Exomologeſeos, poſt te

reli-

reliquisti, per hæc tua merita & dona divinitus tibi concessa, precamur suppliciter ac fiducialiter, ut ira Dei conquiescat, peccatorum pœnas, uti pestem, bellum, famem, aliasque tam corporis, quàm animæ plagas clementer avertat, & ut nos ante obitum confiteri, pro peccatis satisfacere, omne periculum & sæculi dedecus, hominum scandalum effugere, Deo placere, adhærere, vitam laudabiliter concludere, & ad vitam æternam pervenire possimus. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

LITANIÆ
de S. JOANNE Nepomuceno. Cujus memoria 16. Maji colitur.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, Ora pro nobis.

San-

Sancte Joannes Nepomucene,
Lachrymis & precibus ſenum tuorum parentum ad B. V. MARIÆ fuſis nate.
Viſibili, coruſca luce in natali tuo à cœlo honorate,
Unigenite, ſolatium & gaudium tuorum parentum,
Impiger miniſter S. Altaris,
Vir Apoſtolice,
Lumen Eccleſiæ Pragenſis.
Speculum & Norma Confeſſorum,

Ora pro nobis.

Eleemoſynarie liberaliſſime,
Refugium pauperum,
Conſolator afflictorum,
Expurgator hæreſum,
Tuba legis Evangelicæ,
Dignitatum, & honorum Contemptor,
A teneris ungviculis ardentiſſime Marianophile,
Orator eloquentiſſime,
Prædicator zeloſiſſime,
Salutis animarum cupidiſſime,
Multos ad pœnitentiam convertens,
Sanctimoniæ prototypon,
Vas puritatis mundiſſimum,

Ora pro nobis.

Rosa patientiæ,
Spiritu prophetico imbute,
Sigilli Confessionis Sacramentalis Custos invictissime,
Ad frangendum hoc sacrum Sigillum frustrà blanditiis & minis solicitate,
Ante & post torturam, Confessionem Augustæ propalare recusans,
Eligens potiùs mori; quàm minima Confessionis Secreta prodere,
In tormentis perferendis patientissime, & constantissime,

Ora pro nobis.

Ad mortem te sanctè semper disponens,
Illatas tibi injurias patienter ferens,
Martyrii cupidissime,
Ob sigillum S. Confessionis integre servatum in Moldavam flumen præcipitate,
Martyr Dei inclyte,
Post mortem luminibus noctu supra aquam juxta corpus tuum coruscantibus à Deo manifestate,
Cujus sepulchrum miraculis gloriosum,

Ora pro nobis.

Bohe-

Bohemorum Thaumaturge & Patrone, Ora pro nobis.

Nobile depositum urbis Pragenæ, Ora pro nobis.

Patrone singularis fama periclitantium, Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis, &c. &c.

Agnus Dei, qui tollis, &c. &c.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater noster. Ave Maria.

℣. Ora pro nobis B. Joannes Nepomucene.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

ADesto Domine precibus nostris, quas in memoriam Beati Joannis Martyris fundimus; ut ejus intercessione, & meritis ab infamia & temporali derisu liberati, ante obitum confessi, & pœnitentes ad æternæ beatitudinis portum venire mereamur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

ALIA ORATIO.

OMnipotens & misericors Deus, concede propitius, ut qui in me-

rita Divi Joannis Nepomuceni confidimus, ejus potenti intercessione ex omni infamia, & confusione publica, tam temporali, quàm æterna, hujus & alterius vitæ, & vel maximè ex imminenti tali N. N. periculo per tuam piissimam misericordiam eruamur. Per Jesum &c.

COMMENDATIO
ad S. JOANNEM Nepomucenum.

O Sancte Joannes Nepomucene Patrone mi, veneror te in gloria cœlesti aurea corona immortalitatis amictum, & inter filios Dei computatum; simul etiam ad te confugio, orans supplex: ut me tibi à divina bonitate commissum hodie, & tota vita mea tuo patrocinio protegas; & à pudore mundano custodias, Amen.

Alia Oratio.

DEus cordis mei sine cujus nutu ne capillus quidem de capite nostro perit; te per gloriosa merita fidelis tui servi Joannis Nepomuceni (qui de Ponte Pragensi in Moldavam dejici, & mergi maluit, quam sacrosanctum Confessionis sigillum Regi revelare) suppliciter oro, ut in hoc

tibi noto honoris mei manifesto periculo, mihi pro benignitate tua subvenire, meque ab omni confusione ac infamia tuere digneris, ne gaudeant super me inimici mei, Amen.

Singulares devotiones erga S. JOSEPHUM,

Consistentes in quinque Orationibus.

I. Oratio.

Qua S. Joseph in Patronum eligitur.

O Sancte Joseph, Redemptoris mei Christi JESU fidelis Oeconome, ac Nutritie castissimæ Virginis Deiparæ Sponsæ! Ego N. N. te hodie in Patronum & Advocatum meum singularem eligo, firmiterque propono, me nunquam te derelicturum, neque permissurum, ut à quoquam ex meis subditis aliquid contra tuum honorem agatur. A te igitur peto suppliciter, ut me in clientem perpetuum suscipere, in rebus dubiis instruere, in adversis solari, in hora deniq; mortis defendere ac protegere digneris, Amen.

II. Oratio.

Ad impetrandam, D. Josephi intercessio-

cessione, gratiam piè communicandi.

O Beatissime Joseph, quanta tibi à Deo gratia concessa est, quòd unigenitum ejus filium in carne (quē tot Reges videre frustra exoptarunt) non tantùm videris, sed & brachiis paterno affectu amplexus fueris? utinam ex hoc tuo exemplo inflammatus, & patrocinio adjutus, Dominum ac Redemptorem meum Christum JESUM simili amoris ac reverentiæ affectu complectar in sanctissimo Altaris Sacramento, quo merear eundē posthac æternùm complecti in cœlis.

III. Oratio.

Ut S. Josephum in via vitæ hujus ducem & comitem impetremus.

O S. Joseph, qui tanquam Pater & manuductor Christum JEsum in pueritia & juventute per omnes peregrinationis humanæ vias fidelissime deduxisti: & mihi obsecro in vitæ meæ peregrinatione tanquam Comes & ductor assiste, nec unquam permitte me a via mandatorum Dei declinare: sis in adversis præsidium: in ærumnis solatium; donec tandem ad terram viventium perveniam, ubi tecum & sanctissima Sponsa tua

Maria, omnibusq; sanctis æternùm in Deo JESU meo exultem, Amen.

IV. Oratio.
Ad quælibet D. Josephi intercessione impetranda.

O S. Joseph, cui JESUS hìc in terris sese subjecit, prompteque obedivit, quemque singulari semper honore & amore prosecutus est; quomodo idem in cœlis, ubi tua nunc remunerantur merita, quidquam tibi denegabit? Ora pro me ò S. Joseph, gratiamque impetra, imprimis, ut peccata omnia seriò detester & fugiam, præsertim ista... Vitam in melius emendem, constanterque me virtutum studio impendam, præsertim istarum... ab his... tentationibus & peccandi occasionibus, quibus anima mea in periculum damnationis induci posset, & ab afflictione ac miseria hac... nisi divinæ id voluntati meæque saluti adversetur, liberetur. In his tamen & aliis omnibus totum me divino arbitrio & dispositioni, tuæque paternæ fidei ò S. Joseph, subjicio & committo, Amen.

V. Oratio.

Pro felici morte impetranda.

O S. Joseph, qui in ſvaviſſimo JEſu clientis tui, & dulciſſimæ Spōſæ tuæ Mariæ complexu ex hac vita emigraſti: ſuccurre mihi, ò S. Pater, cum JEſu & Maria, tunc potiſſimùm, quando mors vitæ meæ finem imponet, illudque (quod unicè peto) ſolatium mihi impetra, ut in iisdem ſanctiſſimis JEſu & Mariæ brachiis expirem. In manus veſtras vivens & moriens commendo ſpiritum meum, JESUS, MARIA, JOSEPH.

ORATIONES S. BIRGITTÆ

De Paſſione Chriſti longè devotiſſimæ.

ORATIO I.

O JESU Chriſte, æterna dulcedo tè amantium, Jubilus excedens omne gaudium, & omne deſiderium, ſalus & amator peccatorum, qui delitias tuas teſtatus eſſe cum Filiis hominum propter hominē Homo factus in fine temporum. Memento omnis præmeditationis & intimi mæroris,

toris, quem in corpore humano susti-nuisti, instante saluberrimæ passionis tuæ tempore, in divino corde præordinato. Memento tristitiæ, & amaritudinis, quam in anima (te ipso attestante) habuisti, quando in ultima cæna Discipulis tuis Corpus & Sangvinem tuum tradidisti, pedes eorum lavisti, & dulciter eos osculando imminentem passionem prædixisti; Memento omnis timoris, angustiæ & doloris, quem in tuo Corpore delicato ante Passionem Crucis tuæ pertulisti, quando post trinam orationem & sangvineum sudorem à Juda discipulo tuo tradebaris ab electa gente capiebaris, à falsis testibus accusabaris, à tribus Judicibus injustè judicabaris, in electa Civitate in Paschali tempore; in florida corporis juventute innocenter damnabaris, Veste propria exuebaris, & vestibus alienis induebaris, colaphizabaris, oculis & facie velabaris, alapis cædebaris, ad columnam ligabaris, flagellabaris, spinis coronabaris, arundine in Capite feriebaris, & innumerabilibus aliis calumniis lacerabaris. Da Domine DEUS mihi: quæso, ob memoriam

harum, ante Crucem tuam, Passionum veram, ante mortem meam contritionem puram confessionem ac omnium peccatorum meorum remissionem Amen.

Pater noster &c. Ave Maria. &c.

2. O JESU vera libertas Angelorũ, Paradisus deliciarum, memento mœroris & horroris, quos sustinebas, cùm omnes inimici tui quasi Leones ferocissimi, te circumsteterũt, & colaphizationibus, consputationibûs ungulationibus, cæterisq; pœnis inauditîs te molestaverunt. Per has pœnas, & per omnia contumeliosa verba, durissimaque tormenta quibus Te Domine JESU Christe, omnes inimici tui afflixerunt, deprecor te, ut liberes me ab omnibus inimicis meis visibilibus & invisibilibꝰ, & dones mihi sub Umbra Alarũ tuarum ad perfectionem salutis æternæ pervenire, Amen.

Pater noster &c. Ave Maria &c,

3. O JESU mundi fabricator, quem nulla dimensio verô terminô metitur, qui terram pallamâ concludis, recordare amarissimi doloris quem sustinebas, cùm Judæi sanctissimas manus tuas ad Crucem obtusis clavis

pri-

primò affixerunt; & ad perforandum delicatissimos pedes tuos (cùm factis in Cruce foraminibus corporis tui statura minùs esset conveniens) dolorem super dolorem vulneribus tuis addiderunt & sic crudeliter te distraxerunt, & extenderunt in longum & latum Crucis tuæ, ut dissolverentur compages membrorum tuorum. Deprecor te, per hujusmodi sacratissimi amarissimique in Cruce doloris memoriam, ut des mihi timorem, & Amorem tuum, Amen.

Pater noster &c. Ave Maria, &c.

4. O JESU Cœlestis Medice, recordare langvoris, livoris, & doloris, quos in alto Crucis patibulo levatus, passus es in omnibus dilaceratis membris tuis, quorum nullum in statu suo rectè permanserat, ita ut nullus dolor dolori tuo similis inveniretur, quia à planta pedis usquè ad verticem capitis in te non fuit sanitas, & tamen omnium dolorum immemor, Patrem pro inimicis piè orasti: dicens: Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Per hanc misericordiam & ob memoriam illius doloris concede, ut hæc memoria passionis

sionis tuæ amarissimæ sit omnium peccatorum meorum plena remissio, Amen.

Pater noster &c. Ave Maria &c.

5. O JESU speculum claritatis æternæ, memento illius mæroris quem habuisti, quando in speculo serenissimæ Majestatis tuæ conspexisti prædestinationem electorum, per merita tuæ passionis salvandorum, & reprobationem malorum per sua demerita damnandorum. Et per abyssũ miserationis tuæ; quâ nobis perditis peccatoribus, & desperatis tunc condoluisti, & quam Latroni in Cruce exhibuisti, dicens: Hodie mecum eris in Paradiso. Rogo te pie JESU, facias mecum misericordiam tuam in hora mortis meæ, Amen.

Pater noster &c. Ave Maria, &c.

6. O JESU Rex amabilis, & Amice totus desiderabilis, memẽto illius mæroris quem habuisti quando nudus & miserabilis in Cruce pepẽdisti, & omnes amici & noti tui adversum te steterunt: & nullum consolantem inveniebas, nisi solam dilectam Genitricem tuam, in amaritudine Animæ tuæ tibi fidelissime adstan-

ſtantem videbas, quam Diſcipulo tuo commendaſti dicens: Ecce Mater tua. Rogo te pie JESU per gladium doloris, qui tunc ejus animam pertranſivit, ut compatiaris mihi in omnibus tribulationibus & afflictionibus meis corporalibus, & ſpiritualibus, & des mihi conſolationem in tempore tribulationis, & in hora mortis meæ, Amen.

Pater noſter &c. Ave Maria, &c.

7. O JESU fons inexhauſtæ pietatis, qui ex intimo affectu in Cruce dixiſti: ſitio (ſcilicet ſalutem generis humani) accende quæſumus, cordium noſtrorum deſideria ad omne opus perfectum, & ſitim carnalis concupiſcentiæ, & æſtum mundanæ delectationis, in nobis penitus refrigera & extingve, Amen.

Pater noſter &c. Ave Maria, &c.

8. O JESU dulcedo cordium, ingeniſque ſvavitas mentium; per amaritudinem aceti & fellis, quam pro nobis deguſtâſti, in hora mortis meæ concede mihi Corpus & Sangvinem tuum digne percipere, ad remedium & conſolationem animæ meæ, Amen.

Pa-

Pater noster &c. Ave Maria, &c.

9. O JESU, regalis virtus jubilusquè mentis memento angustiæ, & doloris, quem passus es, quando præ mortis amaritudine & Judæorum insalutatione cum magna voce te a Deo Patre derelictum clamasti, dicens: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti, per hanc angustiam, peto à te, ut in angustiis meis non derelinquas me Domine Deus noster, Amen.

Pater noster &c. Ave Maria, &c.

10. O JESU, Alpha, & Omega, Virtus & Vita in omni tempore recordare quòd à summo capitis usque ad plantam pedis te pro nobis in aquam Passionis tuæ demersisti. Propter latitudinem, longitudinem vulnerum tuorum doce me in peccatis demersum, per veram charitatem custodire latum mandatum tuum nimis, Amen.

Pater noster &c. Ave Maria, &c.

11. O JESU, abyssus profundissima Misericordiæ, rogo te propter profunditatem vulnerum tuorum, quæ pertransierunt medullam ossium, ac viscerum tuorum ut me submer-

sum

sum in peccatis erigas, absconda(que in foraminibus Vulnerum tuorum à facie iræ tuæ donec pertranseat furor tuus Domine, Amen.

Pater noster &c. Ave Maria, &c.

12. O JESU veritatis speculum, signum Unitatis, Charitatisquè vinculum, memento multitudinis innumerabilium vulnerum tuorum: quibûs à summo Capitis usque ad plantã pedis vulneratus & Sanctissimo Sangvine tuo rubricatus fuisti, quam magnitudinem doloris in Virginea carne tua pertulisti pro nobis. Pie JESU, quid ultra debuisti facere, & non fecisti: scribe quæso, Pie JESU, omnia Vulnera tua, in corde meo, pretiosissimo Sangvine tuo, ut in illis legam dolorem tuum, & mortem & in gratiarum actione usque in finem jugiter perseverem, Amen.

Pater noster &c. Ave Maria, &c.

13. O JESU, Leo fortissime, Rex immortalis, & invictissime, memento doloris, quem passus es, cum omnes vires Cordis & corporis tui tibi penitus defecerunt, & inclinato capite: consumatum est, dixisti. Per hanc angustiam & dolorem miserere

ſerere mei in ultima conſummatione exitus mei, cum anima mea anxia fuerit, & ſpiritus meus conturbatus, Amen.

Pater noſter &c. Ave Maria, &c.

14. O JESU unigenite Altiſſimi, Patris ſplendor, & figura ſubſtātiæ ejus memento obnixæ commendationis, quâ patri Spiritum commendaſti: dicens: In manus tuas Domine commendo Spiritum meum, & lacerato corpore, & rupto corde cum valido clamore, patefactis viſceribus miſericordiæ tuæ, pro nobis redimendis expiraſti. Per hanc pretioſiſſimam mortem, precor te Rex Sanctorum, conforta me ad reſiſtendum diabolo, mundo, carni, ſangvini, & in noviſſima hora exitus mei ſuſcipe ad te revertentem ſpiritum meum exulem & peregrinum, Amen.

Pater noſter &c. Ave Maria, &c.

15. O JESU, vitis vera & fecunda: memento ſuperfluentis & abundantis effuſionis ſangvinis, quem tu ſicut de botro experſum copioſiſſime effudiſti, quando in Cruce torcular ſolus calcaſti, & lancea militari perfoſſo latere, nobis ſangvinem

& a-

& aquam propinaſti, ità ut minima gutta in te non remaneret; & demum quaſi myrrhæ faſciculus in altum ſuſpenſus fuiſti, & delicata Caro Tua evanuit, liquor viſcerum Tuorum exaruit. Per hanc amariſſimã paſſionem, Pie JESU, precor Te, ſuſcipe animam meam in agone mortis meæ, Amen.

Pater noſter &c. Ave Maria &c.

ORATIO S. VINCENTIJ FERRERIJ CONFESSORIS

Ord: Præd: Miraculorum multitudine Thaumaturgi, quam quotidie pro impetranda felici morte recitabat.

Miſerere mei Domine & exaudi orationem meam.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Miſerere mei Domine & vide humilitatem meam de inimicis meis.

Miſerere mei Domine quoniam tribulor,

bulor, conturbatus eſt oculus meus & venter meus.

Miſerere mei DEUS ſecundùm magnam miſericordiam Tuam.

Miſerere mei Domine quoniam conculcavit me homo, tota die impugnans tribulavit me.

Miſerere mei Domine, miſerere mei, quoniam in te confidit Anima mea.

Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die, lætifica animam meam, quoniam eam levavi ad te.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, quoniam multum repleti ſumus deſpectione.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

O R E M U S.

DOmine JESU Chriſte Qui non vis peccatoris mortem ſed ut convertatur & vivat, cui nunquam ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatur, tu enim ore tuo Sanctiſſimo & ſuperbenedicto dixiſti quid quid petieritis in Nomine meo fiet vobis, peto te per Nomen Sanctiſſimum JESUS ac Sanctiſſi-

ctiſſima vulnera tua, ut in hora mortis meæ concedere mihi digneris integritatem ſenſuum cum loquella, vehementem dolorem de peccatis meis, veram fidem, firmam ſpem, Charitatem perfectam, ut puro corde dicere valeam: In manus Tuas, Domine commendo Spiritum meum, Redemiſti me Domine DEUS veritatis. Qui es benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

ykan nie wła się w
rodz awy izpo koda.